
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Beilage zum Programm des mit einem Gymnasium verbundenen Königlichen Realgymnasiums zu Leer Ostern 1891.

Quaestiones Eumenianae.


scripsit

Richardus Götze.

1891, Progr. Nr. 319.

Leer,

gedruckt bei D. H. Zopfs & Sohn.



430

Caput I.

De auctoribus.

Quod prioribus annis inde a F. A. Wolfii aetate saepe in omni fere genere studii philologici litterarumque antiquarum factum est, ut existerent qui summa arte, diligentissimo labore, acerrimo ingenio veterum auctorum opera, quae usque ad id tempus unius hominis nomini attribuebantur, discerperent quodammodo ac disiuncta eorum membra compluribus vel ignotis auctoribus adscriberent, id nostris temporibus mira quadam vice ita est inversum, ut non pauci libri, qui scriptorum diversorum esse non solum videbantur, sed codicum optimorum testimoniis confirmabantur, ita a viris doctis castigarentur, ut suppositi et falso nomine appellati esse viderentur. Id enim operam illi dant, ut demonstrent, tales libros non scriptos esse a pluribus auctoribus, quorum sub nominibus adhuc leguntur, immo esse conscriptos ab uno potissimum homine, paucos vero locos postea ab aliis additos esse.

Nam ut exempli gratia quod ad Homeri carmina attinet, Wolfius, in castigando carmine, cui inscribitur „der Niblunge not", Lachmannus duces ac signiferi fuerunt, de Pentateucho theologorum multitudo adhuc disceptat, quot auctorum manibus debeantur singulae corporis maximi partes, ita qui rebus imperii Romani operam est daturus, nunc nova re saepe perterretur ac iudicii certi fundamento velut detrudi sibi videtur eo impetu, quo Seeckius usitatas hominum opiniones excutiebat (in Fleckeiseni annalibus 1888 p. 713—726). Is enim non fuit contentus plurimos oratorum diversorum panegyricos Latinos in unum corpus compressisse, sed nuperrime cum scriptores historiae Augustae eadem fere ratione tractaret, unum fuisse dixit eumque hominem impudentem, cui tanta moles vitarum deberetur (in Fleckeiseni annalibus 1890 p. 609—639).

Ac de scriptoribus historiae Augustae cum viri illustrissimi Dessauius et Mommsenius (Hermes 24, 337 ss. — 25, 229 ss.) viam Seeckio patefecisse videantur, panegyrici Latini ante Seeckium a multis viris doctis in hunc modum tractati sunt, ut pars eorum singulis oratoribus adscriberetur, pars uni vel duobus magistris. Nam plerique panegyricos (edit. Baehr.) secundum et tertium antiqua inscriptione ducti Mamertino cuidam minori tribuunt, quartum deinde cum quinto, septimo, octavo Eumenii Augustodunensis esse putant Livineium secuti, sextum et nonum incertorum auctorum esse voluerunt. Nec vero de Eumenii orationibus consentitur, quam rem S. Brandtius (Eumenius von Augustodunum 1882 p. 3) exposuit. Arntzenium enim minorem Brandtius (nam ipsi mihi eius editionis inspiciendae non fuit copia) dubitavisse narrat orationem VII. Eumenio tribuere, Bernhardyum quintam et septimam, alios viros doctos alias. J. Burckhardtus (Die Zeit Constantins des Grossen[2]), quem l. l. Brandtius nominat, de VI. oratione ipse dubitavisse videtur, nam eam p. 76 adnot. 4 tanquam Eumenianam affert, p. 314 adn. 1 Incerti panegyricum appellat. H. Schillerus (Geschichte der röm. Kaiserzeit II) p. 31 adn. 3 quintam orationem Incerti esse dicit, aliis locis Eumenii. Etiam VIII. oratio p. 125 adn. 6 Incerti esse dicitur, quae a plerisque Eumenio tribuitur. Idem Schillerus orationem VI. p. 127 adn. 7 et VII. p. 128 adn. 4 Incerti opus appellat.

Jure igitur Brandtius dixit, etiam de panegyricis V.—VIII. adhuc non consentiri. Jam vero quod ad panegyricos II. et III. attinet, ante Seeckium unus extitit H. Ruehlius (de XII panegyricis Latinis propaedeumata, diss. Gryphisw. 1868 p. 18 ss.), qui ab eodem auctore eos scriptos esse negaret, quam sententiam a Teuffelio laudatam esse video (Geschichte der röm. Litt.[2] §. 387 adn. 4.

Haec fere opinio erat communis de auctoribus panegyricorum, cum S. Brandtius libellum illum edidit, cui adhuc summa habita est fides; (C. Sittlius, Jahresbericht über die spätlat. Schriftsteller, Bursian. 1889, I. p. 27). Atque ut breviter quae Brandtii opinio sit, exponam, negat omnino, ullam orationem praeter quartam

ab Eumenio scriptam esse, immo contendit haec: „Überhaupt enthält die ganze Sammlung nur Reden verschiedener Verfasser“ (p. 33). Solum IV. panegyricum Eumenio tribuendum esse iam Amperius (Ampère, hist. de la France avant le XII. siècle I, 192 ss.) obiter significavit (Sittlius p. 27). A. Sachsius deinde (in diss. „De quattuor panegyricis, qui ab Eumenio scripti esse dicuntur“, Halis Sax. 1885) orationem VIII. et IV. Eumenio tribuit contra Brandtium, quem refutatum esse ab illo negat Sittlius (p. 29).

Venimus iam ad ipsius Seeckii studiorum, quae ad historiam Diocletiani et Constantini pertinent, partem primam.

Repudiatis enim prioris aetatis opinionibus hoc non sine ardore quodam et fiduciae nimiae plenus posuit, omnes illas orationes, non solum a quarta usque ad octavam, sed etiam nonam nec non eas priores, quarum auctores Ruehlius frustra quaesivit, secundam et tertiam ab eodem Eumenio scriptas esse.

Quo ex fonte omnis haec quaestio inde a Livinei aetate fluxerit, facile intelligitur. Nam cum orationi VIII. inscriptum sit „Gratiarum actio“, non alienum videbatur, hanc actionem ei viro tribuere, quem antea pro Maenianis petivisse constat.

Sed in oratione VIII. Maenianorum omnino non mentio fit, quod mirum esset, si is magister hanc orationem habuisset, cui schola illa curae summae fuit. Vereor igitur, ne parum gratus videatur is, qui post maxima beneficia accepta de indulgentiis aliis locutus illa plane silentio praetermittit. An Maeniana tum nondum instaurata fuisse dicamus? Nonne tum potissimum in oratione VIII. orator pro schola sua peroravisset atque petivisset, siquidem Eumenius ipse fuit? Ac ne in orationibus V., VI., VII., IX. ullo loco Maenianorum instauratio commemoratur.

Illud vero concedendum est, in omnibus his orationibus commune quoddam inesse et sermonis et rationis genus, quod eos, qui legunt, facile ad eam opinionem incitet, ut ab uno illas omnes scriptas esse putent.

Attamen ex pari genere dicendi etiam similitudinem quandam sermonis ortam esse, mihi quidem non tam mirum videtur,

quam novum esset, si magna inveniretur diversitas. Omnes enim orationes habitae sunt post eam aetatem, qua res Romana „Pannoniae virtute“ innixa quasi ex profundissima labe surrexit, omnes dictae sunt ab oratoribus Gallicanis, quorum „studium ad Ciceronis (de imp. Cn. Pomp., pro Marc., pro Rosc. Am.) Pliniique minoris exemplum formatum“ erat (M. Hertzius analecta ad carminum Horatianorum historiam III., ind. lectt. Vratisl. 1879 p. 14). Ex poetis deinde Vergilio ab omnibus oratoribus partes primas adsignatas esse K. Schenklius (Wiener Studd. III. 1881 p. 118 ss.) docuit.

Deinde quod prooemia orationum simillima sunt, qua in re Seeckius offendit, et quod ad partitionem verborumque usum atque omnem sermonem attinet, non multum interest inter singulos panegyricos, id in hunc modum explicaverim, ut ponam, omnium oratorum studia fuisse similia, ut „rudem hunc et incultum transalpini sermonis horrorem“ (Pacat. pan. Theod. 271, 20) ad ingeniorum Romanorum splendorem excolerent, „siquidem latine et diserte loqui“ Gallicanis „elaboratum“ erat „et si quid forte commode dicebant, ex illo fonte et capite facundiae imitatio eorum derivabat“ (pan. IX. 193, 2 ss.).

Seeckius, qui Brandtii sententiam (p. 34) sequitur, recte monuit, duas in libro Maguntino inesse partes, unam, qua orationes Plinii, Pacati, Mamertini, Nazarii continerentur, alteram, quae „panegyricos diversorum VII“ (leg. VIII) traderet. Coniuncta igitur sunt duo parva corpora orationum, quae olim disiuncta fuerunt. Ipse Brandtius hoc ita demonstravit, ut doceret, secundae partis panegyricos enumerari primum, secundum etc., cum primus panegyricus in M non primus sed quintus esset. Post coniunctas igitur duas partes servata tamen est inscriptio prior, quamvis iam non apta esset.

Sittlius autem contendit, non fortuito Pacati orationem, quae centum annis post panegyricum II. habita est, initio illius corporis positam esse; opinatur enim, ni fallor, (nam accuratius de hac re se acturum ille quidem est pollicitus, sed adhuc nondum fecisse videtur), eum, qui hos panegyricos inde ab anno 389 usque ad annum 289 habitos collegerit, totum saeculum facundiae

Gallicanae voluisse complecti. Nam si Brandtius recte posuisset, prius illud corpus paullo post annum 311 ortum esse, non verisimile fuisse, eas orationes, quibus Maximianus imperator summis laudibus effertur, imperante Constantino editas esse, cum anno 310 Maximianus iussu generi sui occisus esset. Deinde mirum esse dicit, quod tantulo temporis spatio interiecto nomina oratorum, quorum vita fortasse etiam tum florebat, illi panegyricorum editioni non addita essent. Utut de Sittlii opinione iudicatur, id potissimum tenendum est, alteram partem codicis Maguntini prius editam esse. Cuius alterius partis orationes cum ederentur, non plures erant quam VIII., VII., VI., V., IV., II. (hic enim est codicum ordo), ut Brandtius accuratissime exposuit. Quod ad orationes II. et IX. pertinet, quorum locus in illo corpore extra annorum ordinem est, facere non possum quin cum Brandtio putem, eas orationes postea additas esse, id quod non ante annum 313 fieri potuit, hoc enim anno pan. IX. habitus est. Mihi quidem videtur etiam maius temporis spatium intercessisse, cum nomina auctorum anno 313 in Gallia certe nota fuerint.

Tota autem Seeckii sententia hoc quasi utitur fundamento, ut initium faciat ab inscriptionibus orationum III. et IX., quae in M traditae sunt; IX. autem panegyrici inscriptionem cum ex ipsa oratione haustam esse recte contenderit, alio modo III. orationis inscriptionem aggressus hanc genuinam primi editoris esse dixit eamque humiditate infectam atque mutilatam. Verba autem „magistri memet“ depravata esse ex „magistri memoriae“, iam ante Seeckium Sachsius vidit (p. 7 adn. 10); „genethliacus“ vero vocem Seeckius dixit maxime demonstrare, eam inscriptionem haud ita esse spernendam, quippe quae rarissimum substantivum exhiberet. Qua in re miror equidem, Seeckium, qui III. orationis inscriptioni maximam fidem habendam esse censet, de illis verbis „panegyrici diversorum VI“, quod primum in libro M scriptum erat, deinde in VII (A B), VIII (W) mutatum est, dubitavisse. Similis est inscriptio historiae Augustae „vitae diversorum principum et tyrannorum“, unde haud ab re esse videtur conicere post adiectivum „diversorum“ excidisse „impe-

ratorum"; quamquam enim in M legitur „Plinii Junioris pan.", item „panegyricus Latini Pacati", in priore parte illius corporis nunquam genetivus auctoris reperitur nisi in III. oratione, quorum vera inscriptio „Genethliacus Maximiani Augusti" est. Sed ne haec opinio prematur, sufficit dixisse, inscriptioni „panegyrici diversorum VII (VI)" non minorem deberi fidem, quam illi III. orationis. Quod si recte disputatum est, id Seeckio concedam, editorem illum, qui III. panegyricum cum antecedentibus coniungebat, putavisse orationem II. ab eodem magistro habitam esse, a quo Genethliacus dictus erat. De reliquorum vero quinque panegyricorum auctoribus ita eum puto iudicasse, ut censeret, eos plures esse, non unum, nam verba „item eiusdem" oppositi cuiusdam vim habere videntur: si enim omnes orationes uni auctori attributae essent, non opus fuisset adnotatione „eiusdem". Saepissime hanc vocem eiusdem legi in historia Augusta Mommsenius (Herm. 25, p. 244) commemorat, ubi dicit, ea formula errorem quendam et ordinis perturbationem demonstrari.

Verisimile autem est, eum, qui Plinii, Pacati, Mamertini, Nazarii singulos panegyricos cum orationibus II.—IX. coniunxit, putavisse, se diversorum oratorum opera, non unius in manibus habere, neque aliter de eo censendum est, cui prius illud corpus VIII—II debetur. Quid enim causae est, cur putemus, eam ipsam partem magis humiditate ita mutilatam esse, ut rubra quae dicuntur evanescerent excepta una inscriptione panegyrici III.? Miram profecto atque rem singularem! Nomina omnium oratorum excidisse, servatam esse solam partem inscriptionis III! At Seeckium fugit, in eodem libro etiam alio loco rubras litteras servatas esse, legitur enim IV, 125, 20 Baehrensio teste in A „Exemplum sacre eplę" (h. e. „sacrae epistolae") in textu, itaque in Maguntino quoque illa legebatur inscriptio, quae cum servata sit, vereor, ne Seeckii sententia de rubris humiditate deletis hominibus paucis probetur; immo nomina oratorum VIII.—II. a primo editore qualibet de causa non addita esse censendum est. Quae si addita fuissent, certe uno loco eorum reliquiae invenirentur. Vero igitur propius esse videtur, editori illi in

manus venisse acervum (J. Burckhardtus p. 54) panegyricorum sine nominibus scriptorum, ipsum autem nominibus auctorum adscribendis non operam dedisse.

Accedit quod iam Ruehlius recte demonstravit, iis temporibus multos fuisse homines disertos loquendique cupidissimos, quo fit, ut Seeckium non sequar, qui exempli gr. ad panegyricum V. dicit, non credere sese, Augustoduni, in oppido semiruto, duos vel plures eloquentiae magistros fuisse. Ipsum enim apud Eumenium legimus (IV, 117, 2), praesidem provinciae Lugdunensis, quo praesente haec oratio habita est, in omni genere dicendi maxima facultate viguisse; 120, 13 summus doctor, in cuius locum ipse Eumenius successerat, commemoratur, itaque ab eodem quoque antea panegyricos habitos esse verisimile est. Ex aliis quoque locis intelligitur, Eumenii temporibus multos oratores laudes imperatorum panegyricis celebrasse, cf. VI, 148, 16 „Dixerint licet plurimi multique dicturi sint ea quibus omnia facta vestra summarumque virtutum merita laudantur". IX, 192, 17, „post tot homines disertissimos quos et in urbe sacra et hic rursus audisti". IV, 128, 22 Augustodini fuisse Glaucum quendam „non civitate Atticum, sed eloquio" Eumenius narrat. Quibus conferendum est, quod J. Burckhardtus p. 378 dicit: „Jede bedeutende Stadt des Reiches bemühte sich um den Besitz eines oder mehrerer tüchtigen Rhetoren; . . . . in Gallien gab es zu Marseille, Narbonne, Toulouse, Bordeaux, Autun, Trier und Rheims . . . . . eigene Anstalten". Praeterea panegyricorum priorum editor si Eumenii corpus quoddam edere voluisset, plures quam nunc habemus orationes proferre debuit, nam eum numerum maiorem fuisse credo (102, 2 et 15).

Quod Seeckius de vita eius oratoris, a quo omnes orationes habitas esse censet, exposuit, ad speciem probabilitatis prope accedere, non negari potest, certe in orationibus II., III., IV., V., VII., VIII. ex iis, quae oratores ipsi de sua vitae conditione commemoraverunt, videtur effici, oratorem Gallum fuisse, qui antequam officia docendi subiret, magister sacrae memoriae apud Constantium vel Maximianum fuerat, id quod ad Eumenium spectare videtur. Sed qui diligentius hanc rem tractaverit,

intelliget, huic Seeckii opinioni haud ita parvas causas obesse, quarum una est haec, quam a Brandtio p. 24 iam allatam esse video, non esse notum, num Eumenius usque ad eum annum, quo oratio VIII. habita est, vixerit; deinde mirum esse ratus est Brandtius, quod Eumenius in VIII. oratione neque Maeniana neque officium suum docendi neque prius illud magisterium attigisset; tum haud ita facile („zur Not noch") intellegi, quo modo orator VIII. orationis, qui ipse in curia est, Eumenius habendus sit, cum is ex officii dignitate decurionatus munere vacuus esset. Hoc etiam Sittlio probatur: ego vero addo his aliam causam, neque enim dubitandum est, quin verba (pan. VIII, 180, 10) „ut essem iam non privati studii litterarum ... orator" falso ad officium publice docendi cogantur, nam nihil aliud his verbis demonstratur, qnam hoc, illum virum fuisse rhetorem, num vero in Maenianis functus ille publico officio docuerit, dubito, cum id non possit appellari „studium litterarum privatum".

Is deinde, qui panegyricum IX. dixit, se ante hunc panegyricum alios (192, 20) habuisse narrat ille quidem, sed p. 193, 6 studium suum „inchoatum potius quam eruditum" appellat, unde id potissimum sequitur, ut putemus illum oratorem fuisse hominem aetate nondum provectum nimiaque modestia praeditum atque longe moribus disparem dissimilemque oratoris VII., hic enim quantae fiduciae sui plenus fuerit, intelligimus ex hoc loco (179, 10) „multi quippe ex me rivi non ignobiles fluunt, multi sectatores mei etiam provincias tuas administrant".

Eumenius vero ipse homo modestissimus fuit (118, 1), praeterea anno 313, quo panegyricus IX. habitus est, si vixit, fere quinquaginta sex annos natus fuit, (cf. Brandtium p. 9 et quod Sittlius ad hunc Brandtii locum addidit), quam ob rem studium suum non debuit appellare inchoatum potius quam eruditum.

Jure deinde a Sachsio (p. 32) dictum est, VII. panegyrici auctorem Graecos quasi despicientem nominasse (175, 20) Graeculos. Non aliter de Graeculis loquitur orator IX., p. 197, 8; Eumenius autem familiam suam natione Graecam esse ipse

praedicat 128, 18. Porro orator VII. quae de Massiliae situ narrat, se audivisse dicit (175, 7), quod ad Eumenium vix attulerim, nam eum, qui antea Maximianum magister memoriae comitatus erat, nonne credamus, ipsum aliquando fuisse Massiliae?

Sed quoniam et Seeckius et Sittlius opinantur in censendis moribus ingenioque Eumenii nimio quodam studio ac favore usum esse Brandtium, mihi in mentem venit, in recensendo Brandtii libello posuisse quendam A. E. (Aug. Engelbrechtus? Lit. Centralbl. 1883, p. 331 ss.) haec: „Verlässige Kriterien für die Bestimmung der Autorschaft liefert nur die Untersuchung der rhetorischen Kunstmittel, des Sprachschatzes und des Sprachgebrauches“, (Brandtius p. 21) quo officio Engelbrechtus ipse in Claudiani Mamerti sermone observando functus est (Wiener Sitzungsberichte 110, p. 423 ss., 1885). Itaque meum esse habui, partem eorum quae ex panegyricorum sermone observato adhuc conscripseram, in hoc proferre libello, demonstrari posse ratus, Seeckium ductum nimia fiducia sermonis observationes neglexisse.

Ipsum enim Eumenium, auctorem panegyrici IV., singularem locum obtinere, quod ad usum verborum sermonemque pertinet, iam Burckhardtus vidit (p. 379), quamquam is Livineium secutus Eumenio duos vel tres alios panegyricos attribuit, ut supra dixi. Itaque hoc loco liceat mihi, quae de Eumenii usu singulari et ab aliis dicta sunt et iis quae sequuntur capitibus illustrabuntur, breviter exponere.

1. Formae breviores et contractae verborum (cf. cap. III.) paucae apud Eumenium leguntur: ita perfecti indicativi pluralis III. persona, quae pro -erunt in -ere exit, semel in IV. oratione exstat, at decies in III. panegyrico.

2. Substantivorum in syllabam -tas exeuntium minimus numerus apud Eumenium legitur (viginti exemplorum), quadraginta insunt in oratione III.

3. Substantiva quae in -entia desinunt, Eumenius undeviginti adhibuit, orator III. undecim, V. septem, VIII. sex exempla profert. Si autem Seeckius recte iudicasset, in posterioribus orationibus ex amplificatis oratoris studiis voca-

bulorum multitudo, qua Eumenius in antecedentibus orationibus usus erat, aucta esset, id quod his exemplis nemini probatur.

4. Formae pronominum, quae auctae sunt per syllabas -met, -te, -ce, desunt apud Eumenium (etiam apud oratorem VIII.).

5. Genetivum pronominum personalium, cui obiecti quaedam inest vis, solus Eumenius omnino vitavit. In oratione V., quae eodem fere tempore habita est, quinque huius rei leguntur exempla.

6. Eumenius coniunctionem quamquam cum coniunctivo coniungit, V. orator cum indicativo.

7. Apud nullum oratorem tantus gerundiorum numerus legitur, quantus exstat apud Eumenium, quo in numero genetivi duodeviginti sunt, obiecti autem accusativum nusquam addidit Eumenius, cum apud V. oratorem bis, apud VI. septies hic usus inveniatur.

8. Illud ut audio, quod saepius apud reliquos oratores inculcatum est, solum apud Eumenium non legitur.

Quae omnia si complectimur, contendere non dubitabimus, quod Brandtius posuit, Eumenio singularem tribuendum esse locum, Seeckii opinione non esse refutatum. Deinde quod Seeckius dicit, in oratione V. (133, 7 et 132, 15 ss.) respici ad orationes II. et III. Maximiano praesente ab eodem auctore habitas, Eumenius IV, 118, 18 refutat, qui dicit, se in foro, i. e. publice dicendi insolentia perturbari. Eas autem orationes, quas Eumenius ipse habuisse se („non dicendi novitate") confessus est intra scholarum parietes discipulis tantum audientibus dixisse videtur, nam si in palatio praesente imperatore perorabat, multis assistentibus et tanquam publice erat dicturus, id quod sibi perturbationi esse ipse profitetur.

Porro quod Seeckius orationem V. ante IV. habitam esse voluit, equidem temporis ratione missa id potissimum dicam, hac coniectura ordinem corporis Augustodunensis, quod Seeckius posuit, turbatum esse idque factum esse non in fine, quod facilius fieri poterat (cf. III. et IX. falso loco additos panegyricos) sed media in serie, quamobrem dubito num hoc modo

Seeckii sententia adiuvetur. Cui autem Seeckius persuadebit, orationem V. eo die habitam esse, quo Constantii ex Italia revertentis comitatum adolescentes hilari consensu susciperent? cum neque in epistola Caesaris de oratione ab Eumenio habita quidquam legatur neque oratio V. ea sit, qua advenientem Aedui suscipere possent imperatorem? nam de itinere Alpibusque superatis nihil legitur, verba autem (133, 22), „hodiernae gratulationis" pertinere videntur ad diem festum, i. e. ad Kalendas Martias, quamquam non necesse est credere, Kal. Martiis ipsis orationem V. esse habitam, cum exordium tantum ille dies oratori dedisse videatur, ut recte Seeckius exposuit. Cur autem Constantius perorante oratore V. steterit, non habeo explicare, nisi puto Constantium qua erat animi benignitate, Aeduos eorumque oratorem honore quodam afficere voluisse, ut a Juliano quoque factum esse orator Mamertinus (XI, 268, 22) praedicat.

Arminius autem Sachsius (p 16) illud „trophaea Niliaca" (V, 135, 13) propter Achilleum subiectum non laudandum esse censet, „cum alia quoque bella illis temporibus in Africa, cum Blemyibus aliisque gentibus gesta esse sciamus".

Ruinam vero Carporum, quam Idatius anno 295 factam esse tradit, cum proximam fuisse auctor quintae orationis dicat, Sachsio eam orationem anno insequenti, id est, 296 composuisse videtur.

Nam ex ordine, quo laudes Constantii memorentur, apparere, ruinam Carporum factam esse post trophaea Niliaca reportata. Putat igitur Sachsius, fieri non potuisse, ut III. orator in enumerandis rebus gestis de tempore erraret. At enim Blemyum bellum non id erat, quo confecto „trophaea Niliaca" reportarentur, quippe gens illa pro Romani imperii magnitudine debilior et parum erat timenda. Si quis Nilum commemorat, Aegyptum ipsam in animo habet, non gentem vagam rapacemque atque in desertis Nubiae habitantem quam Nili ripas accoluisse in Gallia fortasse notum non erat (ut audio 115, 7). Statuamus igitur verba „trophaea Niliaca" pertinere ad „positum" Aegypti ipsius „furorem" (IV, 131, 15), prae-

sertim cum „Aethiops“ non „sub trophaeis“ a Blemyibus reportatis intremuisset, sed gaudio tripudiavisset, nam inter ipsos Blemyes et Aethiopes proelia internecina committebantur (III, 115, 7 ss.). Et quo iure dicere potuit orator V., sub trophaeis Niliacis Indum intremuisse, si haec verba de parva illa gente Blemyum devicta dicta essent?

Recte igitur Sittlius probavit Brandtii (p. 38) opinionem qui dixit, in orationibus IV. et V. idem factum commemorari. Quae si recte disputata sunt, elucet, quam bene Sittlius censuerit, cum diceret, nihil de tempore panegyricorum IV. et V. contendi posse, nisi id, quod verissimum est, eodem fere tempore habitas esse illas orationes; quae si ab eodem auctore scriptae essent, pari sermone verborumque usu florerent, sed longe aliter rem se habere supra dixi.

At Seeckii opinio ea est, ut si qua parte unum membrum eius catenae, qua ut cum verbi periculo loquar, omnes orationes ille conexuit, etrudatur, omnis considere videatur, nam si una oratio eaque medio loco Eumeniani corporis posita non Eumenii esse dicenda est, (quod ad orationes VI. et IX. attinet, ipse conclusione quae vocatur analogia se usum esse confitetur Seeckius), non iam causa est, cur putemus, unquam fuisse editum corpus Eumenianum.

Caput II.

De declinationis formis.

De declinationis formis, quae apud panegyristas inveniuntur, nemo adhuc observavit, nisi quod Ruehlius (p. 30) breviter commemoravit, II, 6, 4 (hoc est p. 94, 16 editionis Baehr.) formam rariorem d e u m pro d e o r u m positam esse, et Brandtius (p. 20) formas Graecas H e r a c l e n (121, 30) et P y t h i a d o s (127, 14) attulit.

Ego vero in iis, quae sequuntur, de omnibus declinationis formis ita agam, ut omissis, quae a communi sermone non abhorrent, formis eas adscribam, quae rarius apud scriptores Latinos leguntur.

Qua in re primum id ponendum mihi videtur, quod apud omnes oratores II.—IX. haud raro formae Graecae leguntur, id non ad Seeckii opinionem iuvandam pertinere, quamvis enim optime Brandtius Eumenii familiam Graecam esse contenderit (p. 20), tamen iis temporibus apud alios quoque homines Gallicanos saepe Graeci sermonis vestigia apparere ex eo intelligitur, quod etiam exempli gr. Ausonius prof. Burdig. 5 „epos ligasti metricum" dicit, et nomina Phoebicii Delphidiique, si Eumenii Glaucique ipsorum nomina omittimus, Graeci sermonis studium sapiunt

Graecarum igitur formarum nominativus legitur Perses VII, 168, 6 (abl. Perse 299, 26 cf. Fest. brev. 5, 3); Delos IV, 129, 15 (cf. 274, 27); Arion VII, 166, 16; Saguntos VIII, 181, 27. Quod ad vocativum attinet, hoc loco forma Thybri IX, 206, 16 appellanda est, quam Georges ex Verg. Aen. VIII, 72 et X, 421 affert. (Nominativus vulgaris Tiberis legitur X, 238, 13; genetivus XII, 307, 2). Genetivi formae Graecae haec inveniuntur: Pythiados IV., 127, 14; ibid. 131, 11 Persidos (Georges Lexikon der lat. Wortformen p. 516; Fest. brev. XI, 26 Persidis); Libye vero semper genetivum Libyae praebet, velut IV, 131, 12; V, 145, 15; XI, 266, 9. Festus vero Phoenice secundum Graecorum sermonem adhibibuit IX., 21.

Accusativi Graeca forma multis legitur locis: atque singularis exempla haec sunt: Thylen VII., 165, 2; Tanain XII, 291, 13; Heraclen Musageten IV, 121, 30 (qui locus apud Georgem desideratur); Eufraten II, 91, 13, ita enim A exhibet, quamquam Baehrensius Eufratem scripsit, negligens, etiam Ciceronem Graeca usum esse forma (F. Becherus, Über den Sprachgebrauch des Cälius, prgr. Ilfeld. 1888, p. 9), neque minus apud Festum brev. X, 5 Euphraten legitur, qui semper hoc accusativo usus est, ut ex his formis elucet: Persen V, 3; Tigranen IX, 9; Mithridaten IX, 8 et 18; Cabylen VI, 11. — E panegyrico XII. commemoraverim accusativum Damona p. 286, 8.

Pluralis III. declinationis in -as exeuntis formae hae

leguntur: Titanas III, 103, 22; (Horat. od. III, 4, 43, Georges p. 691) Aethiopas III, 115, 8, (Fest.brev.9, 31 Arabas). Macedonas IX, 196, 6; Vangionas X, 227, 8 (Tacit. ann. XII, 27; Amm. Marc. XVI, 2, 11; Georges p. 718); Castoras XII, 306, 32, ubi Georges falso Castores legit.

Praeterea vocabulorum, quae e lingua Graeca in Latinum sermonem translata sunt, apud illos oratores inveniuntur haec: thorax (thorace II, 94, 19, qui locus apud Georgem p. 685 deest); adyta IV, 121, 7 et V, 132, 18, quos locos Georges non attulit p. 18, archipirata (archipiratam) V, 141, 3 (pirata XII, 292, 7, apud Georgem p. 63 non legitur); Heraclidae II, 96, 27 (Georges p. 316); metycus (metycis A) VIII, 183, 17, quem locum Georges p. 422 non commemorat. Quod 106, 27 Baehrensius scripsit, auloedos, huc non referendum est.

Atque haec de formis Graecis sufficit dixisse. Iam ipsa Latina vocabula formae rarioris describam. Qua in re de nominativo et vocativo praeter contractam formam di nihil dicendum est, quae una cum adiectivis immortales aut boni ut apud Ciceronem aliosque, ita etiam apud panegyristas passim legitur. Genetivi formae rariores in -um pro -orum exeuntes hae sunt: deum II, 94, 12; V, 139, 5 (si recte Baehrensius coniecit); VII, 166, 19; 167, 8; 171, 9 (deorum vero legitur III, 106, 17; VII, 161, 13; 165, 5; ibid. 16; VIII, 187, 4); inferum III, 104, 6; nummum IV, 124, 9 (idem in epistola sacra exstat 126, 9); superum VII, 165, 8; tricenum VII, 177, 12; adversarium IX, 199, 21. Genetivi in -um pro -ium exeuntes apud oratores II.—IX. non leguntur, immo IX, 197, 26 exstat Taurinatium (Georges p. 675). Sed apud Nazarium scriptum est cadentum X, 233, 10, quod Georges ex Verg. Aen. X, 647; XII, 410 et ex Silio It. IV, 424 affert. Mamertinus deinde exhibet formam potentum XI, 261, 19, quam Georges omisit; 261, 8 legimus adulantum (cf. Ovid. met. XIV, 46). Pacatus denique XII, 293, 31 forma infantum usus est, ubi Georges deteriorum codicum fide fretus infantium legit. IV, 130, 26 legitur

eorumdem, quem genetivum plerumque eorundem scribendum esse viri docti posuerunt.

Omisso deinde singularis dativo, cuius formae non abhorrent a communi Romanorum usu, pluralis dativi vel ablativi formas has proferam: portibus III, 139, 26, quam formam sine ullo discrimine pro portubus adhiberi notum est, dis II, 92, 22; III, 102, 31; V, 146, 28; VII, 167, 13. Quibus paucas ablativi singularis formas addam: Lacedaemone locativum II, 96, 27, quem restituendum esse puto; requie VII, 174, 17, quae forma optimi sermonis est; in superiori IX, 210, 2, quod Georges p. 666 ex Colum. IV, 8, 2 affert, deest apud Neuium (Formenlehre[2] II, 139).

Pluralis accusativos in -is pro -es exeuntes quattuor legimus his locis: II, 92, 26 militaris habitus (ita M secutus lego, Baehrensius militares); ad omnis impetus IV, 130, 26; omnis metus VI, 159, 3; militaris vias VIII, 185, 25.

Quod attinet ad pluralis formam metus, quam modo attuli, monendum videtur, haud raro in his orationibus pluralis formas inveniri eorum substantivorum, quorum plerumque singularis adhibetur, ut metus etiam VII, 169, 27 legitur, spes, quod Eyssenhardtus (lectiones panegyricae, prgr. Berolin. 1867) III, 116, 13 coniecit, etiam apud Nazarium 214, 3 exstat, eiusdemque substantivi genetivus sperum VII, 172, 6; voluntates IV, 126, 26, ibid. effectus 126, 23; conscientiae IV, 124, 31; successibus VII, 170, 28; questibus ibid. 170, 31; necessitudinum V, 138, 2; VII, 171, 2. Rarissima deinde pluralis forma pacibus legitur VI, 159, 10, cuius rei neque Neuius neque Georges affert alterum exemplum.

His addenda videtur forma contracta vincla IX, 202, 8. Quod IV, 121, 25; 128, 6; IX, 211, 11 legitur monimenta, Georges docuit, et monimentum et monumentum apud scriptores Latinos passim adhiberi. Adiectivi dexter casus obliqui apud omnes oratores plena forma scripti sunt, velut II, 98, 3; 100, 26; III, 111, 27; IV, 131, 17; VIII, 180, 14; X, 243, 5; XI, 267, 9.

Pronominum deinde ex formis eas mihi liceat afferre, quae syllabis -met, -te, -ce auctae sunt.

Sola in oratione II. legitur forma hisce bis, p. 92, 24 et 96, 12; praeterea temet 94, 20. III. oratio eundem numerum exemplorum praebet: vosmet invicem 106, 19; (sed „invicem vos" 108, 8; „vos invicem" 112, 9); semet 114, 5.

Quarta in oratione nullum repperi exemplum.

Quinta, sexta, septima singulas quaeque oratio formas exhibet sese 149, 19; sese 151, 2; sese 177, 30.

Octavi panegyrici auctor cum quarto oratore facere videtur, cum nulla eiusmodi forma usus sit.

Quattuor vero exempla IX. orationis auctor adhibuit temet p. 194, 4; semet p. 203, 21; seseque 210, 24; tute 212, 9.

Tres deinde formae leguntur apud Nazarium, sese X., 215, 15; sese 218, 5; tute 228, 16.

Unum exemplum afferri potest ex Mamertino: semet XI, 253, 19.

At orator Pacatus novies has formas adhibuit, sibimet 306, 22; 308, 23; semet 283, 7; 293, 20; 308, 11; 309, 6; sese 296, 28; memet 313, 24; nosmet 286, 16, unde intelligitur, hunc oratorem non sine studio quodam auctas formas usurpasse, quae a reliquis oratoribus aut raro adhibitae aut omnino vitatae sunt.

Caput III.
De coniugationis formis.

De verborum formis, quae ab oratoribus nostris adhibitae sunt, adhuc, quod sciam, unus egit K. Burkhardus („de perfecti tertiae personae formis in (ē)runt et ēre exeuntibus, quae in panegyricis Latinis inveniuntur", Wiener Studien VIII, p. 170 ss.), qui hanc posuit legem, ab Augustodunensibus potissimum panegyristis breviorem formam raro adhiberi neque unquam ante vocalem aut in fine enunciati. Cuius studia cum libenter arripienda mihi esse censeam, in iis, quae sequuntur,

non me in adscribendis tertiae personae perfecti formis continebo, sed temporum omnium exempla, quae memoratu digna esse videntur, proferam. Qua in re cum imprimis ad usum et contractarum et plenarum formarum investigandum compelli me videam, antequam ad panegyricos ipsos accedam, paucis aliorum scriptorum consuetudinem perstringam.

Atque inde a Ciceronis aetate Romanos „cum epistolas exararent et cum secum confabularentur, formas contractas praetulisse“ notum est (F. Becherus, l. l. p. 15); neque est mirum, ab Italis eas formas quas ipsi appellant „definito“, ex illo fonte esse haustas. Quo enim propius lingua Latina ad medii aevi tempora descendebat, eo saepius ex cotidiano sermone etiam in scriptorum libros ipsorumque imperatorum actus se ingerebat quodammodo contractarum formarum usus.

Ipsam vero perfecti tertiam personam in -ere pro -erunt exeuntem ut a Cicerone ita a Nepote (Lupus, Sprachgebrauch des Corn. Nep. p. 130) vitatam esse Becherus (p. 16) me docuit; a Livio deinde breviorem formam adhibitam esse, ut altius oratio assurgere videretur, Wölfflinius (Liv. Krit. p. 7) demonstravit; Sallustius ut erat vetustioris sermonis studiosissimus, saepe brevioribus formis usus est, quae etiam in inscriptioribus Latinis inveniuntur (C. J. L. III, 6151 „constituere praesidia“). Tacitus in plena forma perfecti praesentis vim inesse voluit, saepius autem breviores adhibuit formas. Commemoro illud „Urbem Romam a principio reges habuere“ Ann. I, 1; ut ex historiarum libris pauca afferam, legitur I, 1 cessere; simul; I, 7 fuere qui; I, 25 suscepere duo; I, 41 laniavere; pl.; I, 42 invasere, de quo; IV, 59 suppeditavere quam; iuravere qui; adiecere qui; IV, 60 occubuere, ceteri; IV, 62 fecere: legiones, quae exempla semper ante consonantem adhibita sunt. At I, 11 inchoavere annum ante vocalem scriptum est, item I, 41 prodidere, alii; Agricol. 20 posuere et, unde elucet, Tacitum et ante consonantes et ante vocales etiam in fine enunciati forma breviore esse usum. Coniunctivi perfecti et plusquamperfecti indicativi formae plerumque non contractae apud

Tacitum leguntur, saepe autem exstant formae in -asse, -asset exeuntes, velut hist. 1, 39 agitasse; I, 37 imperasset.

Ex Plinii panegyrico satis erit attulisse hos locos: 4, 21 honestarunt; 8, 5 vindicaverunt; 12, 11 impetraverunt; 8, 11 collocarat; 24, 15 laudaverim; 51, 16 narraverit; 54, 4 recusaveris; 54, 11 occuparint; 81, 23 agitaverit; 6, 28 obligasti; 6, 35 desisti; 9, 21 noscisti; 11, 7 honestasti; 14, 30 consuesti; 88, 21 approbavistis; 6, 16 nescissemus; 7, 23 adoptasses; 9, 14 agitasse; 6, 15 merebare (in fine); 8, 8 adoptabaris (in fine); 10, 21 precarere (in fine); 13, 21 mererere; 17, 18 reverebare (in fine); 18, 24 merebare; idem 52, 13, unde perspicitur, Plinium certas in adhibendis illis formis leges non esse secutum.

Iam ut ad panegyristarum ipsorum tempora veniat quaestio nostra, videamus breviter, qua ratione eoram aequales usi sint.

Ex Eutropii breviario liceat mihi hos afferre locos: lib. IX, 19: taxaverant; 25 gesserunt (in fine); ibid. locaverunt; X, 3 nuntiaverat; IX, 20 concitassent; 24 dimicasset; 28 obisset; X, 1 obiit; 3 parasset; 5 praeparasset; 13 expugnassent.

Ex Festi breviario afferam locos: p. 2, 16 (C. Wagener) posuere R.; 3, 2 rebellavere s; 3, 24: rebellavere s.; 7, 14 fuere C.; 7, 15 coaluere R.; 8, 16 cessere sup.; 1, 19 fuerunt a; 1, 25 fuerunt n.; 2, 10 accesserunt; 2, 21 pervenerunt; 3, 9 redemerunt. P.; 3, 13 conflixerunt. M.; 5, 7 tulerunt, ex; 12, 30 deduxerunt; 4, 31 petiverunt, cf. 7, 12; 12, 29 aedificaverunt atque; 15, 3 miscuerunt vers., alios passim, unde haec evadit lex, Festum formas in -ere exeuntes eadem ratione adhibuisse, qua panegyristas Burkhardus usos esse demonstravit. Excepto loco quem attuli 12, 29 aedificaverunt ex verbis primae coniugationis semper contractae inveniuntur formae in -arunt exeuntes, velut p. 5, 33 habitarunt; 8, 29 dimicarunt; 10, 22 occuparunt; 11, 20 foedarunt; 14, 5 trepidarunt; 14, 25 occuparunt. Plusquamperfecti indicativi desunt exempla contracta; 14, 8 exstat temptaverant.

Coniunctivum plusquamperfecti his videmus formis adhibitum: 11, 4 sedasset; 13, 9 penetrasset; 13, 23 dimicasset; 13, 26 impetrasset; 15, 1 agitasset; 15, 6 intrasset; 15, 15 instaurasset, nunquam plenae formae leguntur.

Eundi verbum has praebet formas 2, 27 transivit, item 4, 18; 13, 20 interiit. Forma petiverunt 4, 31 (et 7, 12) iam commemorata est

Ammianus deinde Marcellinus sine discrimine et ante consonantes es ante vocales perfecti formas in -ere exeuntes adhibuisse videtur, velut 31, 12 struxere et; 31, 15 pellexere ut; ibid. perrexere ut; 16, 2 discessere celeritatis pr. t.

Sed ne diutius in aliorum scriptorum verbis videar immorari, accedam nunc ad panegyricum II.

Cuius orationis auctor has alterius personae perfecti indicativi formas primae coniugationis praebet: p. 94, 19 mutasti; 94, 32 probasti; alterius coniugationis exstat exemplum 94, 25 implesti, plena forma deest.

Tertiae personae pluralis eiusdem perfecti indicativi plenum exemplum unum invenitur, ubi ex Burkhardi lege orator formam in -ere exeuntem adhibere potuit: 100, 2 certaverunt tamen; alioquin 96, 20 revocarunt; 99, 10 laborarunt contractae formae exstant. Forma quae desinit in -ere, semel legitur 98, 28 ante consonantem: pervenere, sed 99, 24 fecerunt l.

Indicativi plusquamperfecti forma una legitur non contracta 94, 11 optaveras. Coniunctivi formae hae sunt: perfecti 91, 9 inaugurarint; plusquamperfecti 97, 22 placasset. Infinitivus perfecti contractus est, cuius rei unum exemplum hoc afferam 97, 8 communicasse, cui addendum puto illud, quod Schenklius, Wiener Studien III, p. 118 ff, coniecit pro condidisse p. 89, 18, quod libri optimi praebent, nam Baehrensii coniecturam constituisse non probaverim.

Lego igitur cum Schenklio consecravisse, nisi quod contractam formam consecrasse anteponendam esse opinor, cum is sit panegyristarum omniam usus (iam enim hoc loco

liceat mihi ea, quae insequentibus paginis demonstraturus sum, huc afferre), ut semper infinitivum perfecti contrahant.

Semel deinde 93, 23 invenitur apud II. oratorem secundae personae singularis passivi forma, quae in -re pro -ris exit: ferebare.

Quod ad verbum eundi attinet, has formas contractas mihi adnotavi 92, 19 subisti; quam apud Horatium epist. 1, 7, 33 et ter apud Statium inveniri Neuius II, 515 docuit; 94, 21 redisti; 89, 23 adisse (cf. Suet. Cal. 4); audiendi deinde formae hae usurpatae sunt 95, 25 audieras; 100, 21 audivit; petendi (nam hoc quoque praeter verba eundi et audiendi ante alia observandum est, quippe quorum formae et contractae et plenae saepissime apud scriptores Latinos legantur) in II. oratione bis invenitur, semper plena forma, velut 92, 27 appetiverunt; 97, 20 expetivit.

Tredecim igitur formae contractae apud II. oratorem inveniuntur, quibus quattuor plenae oppositae sunt; praeterea una forma -re pro -ris, totidem -ere pro -erunt addendae sunt, cum duobus locis II. oratori licuerit ex Burkhardi lege illas formas (-ere) adhibere (100, 2; 99, 24).

Tertius deinde orator haec exempla praebet: perfecti indicativi II. personae quattuor, 105, 19 peragrastis; 106, 14 ornastis; 109, 19 superastis; 110, 29 turbastis; plenae formae desunt.

Tertia persona eiusdem indicativi, quod ad verba primae coniugationis pertinet, in -arunt contracta omnino non legitur, hic enim orator miro quodam studio earum ductus esse videtur formarum, quae in -ere exeunt, quae correptio in verbis primae coniugationis cum ipsa contractione coniuncta esse non potest. His autem locis orator III. forma contracta uti poterat: 102, 28 procreavere ante consonantem; 115, 2 occupavere ante particulam sed (Eumenius IV, 124, 12 contulerunt, sed; utrumque exemplum in fine parvae enunciationis). Item ante sed legitur brevior forma amisere 115, 3 (nam iam reliquarum coniugationum afferenda sunt exempla, 112, 1 fuere in fine interrogationis, insequens autem vocabulum incipit a

littera qu., cf. 110, 3 petivere quo; 113, 28 fuere, iam. Omnibus his, quos attuli, locis formae in -ere exeuntes non in ambitus, quem Cicero appellat, sed brevioris enunciati fine leguntur, et littera i in „iam" 113, 28 vocalium vim fere non habet, nam ante vocales a panegyristis non adhibitas esse formas breviores Burkhardus docuit.

Forma brevior (-ere) praeter sex exempla, quae iam dicta sunt, quater legitur, ut decem in III. oratione numerentur exempla, quam ad multitudinem nullus reliquorum oratorum accedit.

Perfecti coniunctivi una forma contracta est 104, 21 excitarit; plena 102, 26 declaraverint. Plusquamperfecti indicativus semper plenas praebet formas, velut 102, 2 praeparaveram; 105, 8 illustraveras; 115, 23 separaveram; eiusdem temporis coniunctivi exempla desunt. Infinitivus perfecti semper contractas exhibet formas: 108, 27 commodasse; 109, 23 penetrasse. Eundi forma haec una est 105, 32 redisse; audiendi hae 102, 11 audieras; 115, 15 audierunt; petendi 110, 3 petivere.

Ipse deinde Eumenius paucas formas contractas praebet. Secundae personae perfecti indicativi nullum neque contractum neque plenum legitur exemplum; tertia persona 119, 16 plena legitur iudicaverunt. Formas in -ere exeuntes adeo vitavit, ut uno tantum loco adhiberet 120, 17 habuere, (nam 125, 24 suscepere huc non potest afferri, quia in epistola imperatoris scriptum est). Eundem oratorem ne ante particulam sed quidem forma breviore usum esse iam supra demonstravi, cum orator III. hanc rem non vitaret.

Plusquamperfecti formae apud Eumenium desunt; infinitivi tria exempla sunt: 123, 17 collocasse; 125, 2 affectasse; 128, 26 revocasse. Eundi haec forma legitur 125, 5 praeterisse.

Apud quintum deinde oratorem secundae personae perfecti indicativi haec forma legitur 136, 7 superasti; tertia persona pluralis contracta non invenitur, nam 143, 7 exstat cogitaverunt. Cuius temporis brevior forma semel legitur 135, 19 gessere;

137, 29 ante litteram qu. tamen plenam formam potuerunt invenimus, unde ponendum esse videtur, hunc quoque oratorem eadem, quam Eumenius secutus est, usum esse lege.

Plusquamperfecti indicativi semel contracta forma legitur 140, 28 inflarat; plenae duae inveniuntur 144, 4 violaverat; 145, 18 intraverant. Coniunctivi quattuor 140, 2 intrasset; 140, 14 navigasset; 142, 1 mandasset; 145, 5 iactasset, plena numquam; neque minus plena infinitivi forma deest, nam 133, 29 certasse scriptum est.

Adde his illud 136, 10 desisset, quod ex Plin. pan. 33, 25 Neuius II. p. 513 affert.

Haec de V. panegyrico dicenda erant. Iam videamus VI. orationem.

Perfecti altera persona indicativi has praebet septem formas: 153, 17 firmasti; 154, 22 expugnasti; 157, 2 properasti; 157, 5 imperasti; 158, 5 commodasti; 158, 8 refrenasti; 158, 19 renovastis. Tertiae personae exempla tria sunt contracta: 150, 1 honorarunt; 150, 4 ministrarunt; 153, 24 donarunt; non contractum unum 150, 1 notaverunt. Brevior forma (-ere) bis 158, 9 legitur, qui locus aptissimus est ut demonstretur, qua ratione panegyristae ante vocales plenas formas adhibuerint, nam versu insequenti ante et exstat resederunt. Constat igitur, hunc quoque oratorem breviorem formam plerumque vitavisse.

Coniunctivus perfecti non scriptus est, plena autem forma legitur plusquamperfecti indicativi 153, 19 sociaveras.

Infinitivus perfecti semper contractas formas exhibet, velut 155, 29 sperasse; 157, 17 imperasse; quibus addatur 158, 2 desisse. Neque omittam 150, 23 petisti; 151, 18 punisti, quod apud Neuium II, 513 addendum est; praeterea notandum est 153, 19 plenam formam adsciveras exstare.

Atque hic quoque orator omnibus locis formas, in quibus contractis littera s sequitur, semper adhibuit.

Septimi deinde oratoris usum ut aggrediar, antequam singulas formas proponam, hoc praesumendum puto, in $19^1/_2$ paginis triginta formas vel contractas vel breviores exhiberi. Ac per-

fecti secundae personae indicativi has reperies formas octo: p. 162, 20 intrasti; 165, 29 laxasti; 166, 2 donastis; 167, 22 dubitasti; 167, 31 renovasti; 174, 31 laborasti; 176, 20 reservasti; 177, 20 honestasti; plenae formae hic quoque desunt. Tertia persona perfecti indicativi plena legitur 166, 8 probaverunt; reliquis tribus locis contracta forma exstat, 166, 5 signarunt; 169, 23 fatigarunt; 173, 8 certarunt. Brevioris formae (-ere) septem exempla singula afferre post Burkhardum non opus est.

Coniunctivi perfecti contractae formae hae sunt: 163, 13 ornarit; 171, 12 formarint; 174, 6 intrarit; plena una invenitur 179, 20 probaverit.

Plusquamperfecti indicativi exempla non nisi plena leguntur: 160, 21 cogitaveram; 167, 21 violaverant; 171, 26 mandaveras; 176, 31 iactaverat; 177, 7 votaveras.

Coniunctivi duo leguntur 167, 19 temptasset; 168, 4 honestassent, sicut apud ceteros oratores contracti, neque minus infinitivi 165, 23 advolasse; 166, 15 incitasse; 172, 17 iurasse; (173, 7 certasse pro codicum fortasse Baehrensius coniecit).

Brevior forma alterius personae passivi (-re pro -ris) nulla invenitur, legitur autem 165, 20 vocabaris 177, 30 miraberis.

Eundi formae hae sunt: 162, 29 transivit; 174, 34 abisse; 177, 5 redisse; petendi: 164, 27 expetivit; 170, 22 petierunt; 174, 12 petiverunt, idem 174, 15; audiendi verbum hoc exemplo illustratur: 174, 12 audierant, quod ob eam causam notandum est, quia eodem loco plena forma petiverunt scripta est, unde negandum est, panegyristas in usurpandis verbis audiendi, petendi, eundi certa usos esse lege. Formam denique recognovisti 177, 15 plenam esse videmus.

In octavo deinde panegyrico quindecim formae contractae inveniuntur, quibus tres infinitivi in -ere exeuntes addendi sunt. Ac perfecti alterius personae indicativi haec sunt exempla 180, 15 sublevasti; 186, 14 intrasti; 188, 29 interrogasti; 189, 16 roborasti; 189, 28 donasti; tertiae personae contractam formam (-arunt) hic orator ita vitavit, ut ne unum

quidem exemplum possit adscribi, quamquam haud paucis locis eius rei copia fuit, velut 181, 23 vocaverunt; 183, 4 sollicitaverunt; 186, 20 convolaverunt;. 190, 26 creaverunt.

Coniunctivi perfecti una forma contracta legitur 191, 10 cessarit (quod non debuit Eyssenhardtus in „bearit“ mutare); plenae formae desunt.

Plusquamperfecti indicativi forma haec est: 184, 8 exanimarat, aliae desunt; coniunctivi 182, 10 invocassent; 182, 12 vindicasset; 191, 13 redundasset; item infinitivi perfecti contracti sunt 185, 19 illacrimasse; 189, 28 donasse.

Quibus formis ut aliorum verborum exempla contracta addam, commemoro 188, 28 definisti (finisti Cic. fam. 15, 9, 2, Neuius II, 512); 189, 7 requisisti (Neuius, p. 511; hic locus deest apud Georgem p. 598); 191, 7 implesset. At 191, 12 desivimus plena forma exstat, ubi liber Upsaliensis praesentis formam exhibet. Utut res se habet, hoc de octavi quoque panegyrici auctore ponendum est, eum omnibus locis formis contractis usum esse, si littera s locum post a, e, i obtinere poterat.

Iam eas observemus formas, quae nono panegyrico continentur. Perfecti secundae personae indicativi formae hae inveniuntur novem: 196, 5 numerasti; 199, 29 pugnasti; 202, 26 conflasti, reservasti; 204, 15 advolasti; 208, 7 imputasti; 211, 15 superasti; 211, 18 cumulasti; 211, 26 occupasti; plenae desunt. Tertiae personae in -arunt exeuntis exempla haec sunt: 200, 27 clamarunt; 208, 16 satiarunt; 212, 2 dedicarunt; at 198, 6 plena forma vocaverunt exstat. Tum in syllabam -ere sex exeunt formae, quarum una dedidere ille 211, 24 memorabilis est, cum et in fine enunciati posita sit et insequens vocabulum a vocali i incipiat, id quod contra Burkhardi legem monuerim. Cum perfecti coniunctivi formae omnino desint, accedamus ad plusquamperfecti indicativum, qui ob eam rem notandus est, quod ab oratore nono contractae formae semper vitatae sunt. Cuius rei videas haec exempla: 194, 14 firmaveras; 194, 30 armaverat; 199, 12 temptaverant; 201, 9 servaveras; 201, 10 desperaverant; 204, 5

sollicitaverat; 205, 21 emigraverat; 207, 7 occupaverant. Octies igitur hic orator eas formas noluit contrahere, quae apud reliquos quoque panegyricos plerumque plenae leguntur.

Coniunctivi plusquamperfecti exempla semper contracta sunt excepto uno 204, 9 dicavissent, ubi M „dii cavissent" praebet. Reliquae formae hae sunt: 196, 30 recusassent; 198, 8 desiderassent; 200, 29 vindicasset; 204, 9 dimicasset; 205, 28 abdicasset; 208, 19 vindicasset. Aeque infinitivi contracti sunt, velut 196, 26 pervolasse; 205, 20 sperasse. Tria deinde alterius personae in -re pro -ris exeuntis exempla inveniuntur 194, 13 aggrediebare; 200, 6 ferebare; 200, 12 versere; at 209, 26 videbaris ante consonantem scriptum est.

Restat ut singulorum verborum formas, quae in hac oratione leguntur, afferam. 194, 31 admoverat plena forma est scripta, item 195, 12 oppleverat, cui addendum 199, 29 compleveras.

Eundi verbum his legitur formis: 207, 7 praeterieras; 209, 9 redieras; 206, 3 abiere; 195, 3 transisse; eadem 204, 7. Audiendi unum exemplum exstat 192, 18 audisti; neque deest nescisti 194, 16 (Neuius II, 511), ignovisti 201, 9; novissent 198, 21.

Quo facilius qui usus singulorum oratorum sit, primo quasi obtutu perspiciatur, hanc addo tabulam, cuius altera serie numerum paginarum, qualis in editione Baehrensii exstat, contineri scias, tertia multitudinem contractarum formarum additis exemplis secundae personae in -re pro -ris exeuntis; quarta series perfecti breviores formas amplectitur, quintam omnium summam exhibere volui.

	pagg.	contr. ff.	perf. -ere	summa
pan. II.	12	14	1	15
III.	15	10	10	20
IV.	15	4	1	5
V.	16½	8	1	9
VI.	11½	15	2	17
VII.	19½	23	7	30
VIII.	12½	15	3	18
IX.	20½	30	6	36

Sed ne imperfecta sit haec de usu contractarum formarum quaestio, liceat mihi et Nazarii et Mamertini et Pacati orationes eadem ratione tractare.

Ac Nazarius quidem, ut Burkhardus docuit, perfecti formam in -ere exeuntem omnino vitat, non solum in fine aut ante vocales, sed etiam aliis locis.

Cuius oratoris usum qui ad reliquas perfecti formas attinet, paucis perstringam, ut eluceat, quod iam Burkhardus de III. persona pluralis demonstravit, fere in omnes cadere, Nazarium plenas formas maluisse, quam contractas, excepta II. persona perfecti indicativi, quae apud omnes panegyristas in -asti(s) exit. Nazarii exempla sex haec sunt: 218, 21 liberasti; 219, 23 pugnasti; 222, 23 caligastis; 223, 17 pugnasti; 223, 19 optasti; 238, 16 iactasti. Plenas formas nullus codex exhibet. Longe aliter res se habet, si reliquae formae perfecti inspiciuntur.

Indicativi III. persona plur. sexies plena legitur, velut 225, 12 illigaverunt; 229, 6 dimicaverunt; 230, 18 incitaverunt; 236, 5 laboraverunt; 236, 12 necaverunt; 236, 32 honestaverunt. Contractae tres tantum inveniuntur: 224, 19 redundarunt; 238, 14 servarunt; 242, 15 titillarunt. Eiusdem coniugationis perfecti coniunctivi formis eadem ratione usus est Nazarius, cuius rei haec sunt exempla: Septies plena forma usus est, velut: 215, 7 attrectaverit; 219, 8 abdicaverit; 229, 13 alienaverit; 230, 23 arietaverint; 234, 29 relaxaverit, 30 titubaverit; 242, 19 laudaveris. Ter tantum adhibuit contractam, his locis: 215, 13 excitarit, recrearit; 228, 10 claudicarit.

Plusquamperfecti formae rarius inveniuntur, quarum exemplum contractum hoc est: 232, 13 dissiparat, plenum 231, 8 perturbaverant. Coniunctivi formae hae sunt contractae: 226, 26 reservasses; 230, 17 vulnerassent, quibus adiciam infinitivum cessasse 235, 19. Plena una legitur forma communicavissent 225, 8, ubi codices B V W communicassent exhibent. Videmus igitur, eas formas, in quibus contractis littera s post a sequitur, a Nazario fere omnibus locis

antepositas esse plenis, reliquas formas integro litterarum ordine esse adhibitas.

Ex II. coniugationis verbis haec notanda sunt: 230, 1 oppleverat, quod nusquam contractum legi ex iis quae Neuius II p. 529 attulit, perspicitur; 242, 23 moverit. Quod ad hanc formam attinet, Neuius II p. 533 demonstravit, syncopen perf. coniunctivi in compositis tantum inveniri, nam quae duo exempla (Liv. 6, 18, 10 et Grat. 255) attulit, ipse coniectura mutanda esse censuit.

Verbum eundi apud Nazarium his formis legitur: 217, 7 adierunt; 223, 10 exierunt; 231, 16 interissent (cf. Cic. de domo 36, 96 interissem) quod communis optimorum scriptorum usus postulat (Neuius p. 515). Audiendi forma plena legitur 242, 14 audivit; 237, 2 legitur desivit. Petendi verbum duobus locis exstat: 243, 22 petiverunt (Neuius p. 525), 221, 2 petisse (Neuius p. 516); 228, 29 legimus lacessierunt, quod Neuius II, 518 ex Livio 28, 12, 1 affert; p. 230, 27 nosses forma contracta exstat, quem locum Neuius p. 532 omisit.

Sed haec de Nazariana oratione iam mittamus, ut de Claudii Mamertini panegyrico agamus.

Primae coniugationis verba ut in omnibus panegyricis plerumque contracta inveniuntur, ita hac quoque oratione haud raro leguntur, imprimis autem perfecti indicativi formae in -asti(s) exeuntes, velut: 245, 17 mandasti; 250, 24 consecrasti; 250, 26 iactasti; 256, 15 amasti; 258, 5 excitasti; 263, 9 flammasti; 263, 11 liberasti; 263, 13 collocasti, octies, cum plenae formae non legantur. Indicativi III. persona plur. non contracta semel exstat 266, 5 mutaverunt, contractam unam repperi 259, 20 probarunt. Formam in -ere exeuntem quater inveniri iam Burkhardus monuit (249, 9; 249, 18; 251, 12; 263, 30).

Coniunctivi perfecti forma haec est 266, 13 mutaverit, contractas enim non legi. Item plusqu. indicativi formae tres non contractae leguntur 249, 13 peragraverat; 262, 18 mutaverant; 267, 27 superaverant; sed contractas quoque duas reperies 245, 4 honestaras et 249, 25 onerarat.

Plusqu. coniunctivi et infinitivi perf. formae aeque atque in reliquis orationibus a Mamertino semper contractae sunt, ut his exemplis intelligitur: 247, 9 mitigasset; 248, 7 temptassent; 258, 18 rogassem; 258, 21 dubitasses; 262, 24 optasset; 245, 19 commodasse; 248, 20 sauciasse; 249, 16 dubitasse; 250, 18 properasse; 255, 27 pervolasse.

II. personae sing. pass. in -re pro -ris exeuntis unum mihi adnotavi exemplum 245, 20 videbare, quale apud Nazarium omnino deest. Eundi verbum qua ratione adhibuerit Mamertinus, ex his perspicitur locis: 255, 30 perisse; 258, 29 subissem; 257, 17 adii, quam I. personae formam praeter reliquos Ciceronis locos ex Auson. idyll. 2, 26 Neuius p. 519 affert nostro loco omisso. Ex petendi verbi formis hae apud Mamertinum exstant: 254, 20 petivistis; 257, 27 appetii, quod apud Vergilium Aen. XI, 277 scriptum est (Neuius p. 520). Tres denique afferam formas non contractas 254, 10 cupiverunt; 257, 22 concupivi (Neuius p. 523); nequiverunt 260, 16, quod Neuius l. l. ex Val. M. 8, 11 affert.

His locis allatis intelligimus Mamertinum usum esse imprimis iis formis contractis, in quibus littera s medium obtinet locum, nam una, quam supra attuli, petivistis 254, 20 plena forma eiusmodi est. Quod ad reliquas attinet formas, hoc fere ponendum mihi videtur, certam quidem legem non observatam esse, tamen a Mamertino saepius adhibitas esse integras formas.

Neque multum abhorret ab horum panegyricorum usu in verborum formis adhibendis XII. panegyrici auctor Pacatus, qui perfecti formas II. personae ter exhibet contractas, velut 283, 6 emendasti; 285, 6 vocasti; 308, 22 optasti; semel legitur 308, 18 speravisti plena forma, quam neque apud Nazarium neque apud Mamertinum inveniri supra dixi. Indicativi III. persona plur. plena quater in hac oratione legitur velut 281, 26 imperaverunt; 281, 30 creaverunt; 289, 7 putaverunt; 309, 3 occupaverunt; contracta semel 277, 18 quadrarunt. Septies desinere formas perfecti in -ere Burkhardus l. l. monuit, nunquam in fine enunciati, semper ante consonantes. Formae plenae in -erunt exeuntes et ante vocales

et in fine nec non intra verborum ordinem inveniuntur. Coniunctivi perf. contracta exempla quattuor invenies: 277, 9 occuparit; 284, 12 formarint; 314, 7 triumpharis; ibid. 11 consecraris, neque vero plenae formae desunt, immo saepius leguntur quam contractae velut lustraveris 314, 10, qui locus demonstrat, sine ullo discrimine et contractas et non contractas formas coniunctivi adhibitas esse. Addam huic exemplo reliquas formas 278, 15 dotaverit; 288, 31 putaverint; 289, 7 vocaverint; 307, 13 dubitaverimus; 307, 19 dubitaverim. Indicativi plusqu. formas contractas quattuor reperies: 285, 11 optaras; 300, 18 artarat; 300, 21 imputaras; 303, 9 occuparant. Non contractarum formarum numerus uno exemplo maior est: 273, 3 nuncupaveram; 278, 1 destinaverat; 297, 27 incestaverant; 300, 12 vacuaverat; 302, 12 properaverant; eiusdem temporis coniunctivi formae hae sunt contractae: 272, 11 properassem; 278, 21 optassent; 278, 23 putasset; 283, 21 innatassent; 285, 26 expectasset; 290, 12 vallassent; 297, 25 tractassent; non contractae desunt. Idem usus est infinitivi perf., cuius non contractae formae desunt, contractae duodecim leguntur: 272, 25 praedicasse, 273, 16 perrogitasse; 283, 30 militasse; 294, 13 laxasse; 299, 13 aspirasse; 300, 8 imperasse; 307, 3 nuntiasse, imputasse; 307, 21 administrasse; 313, 25 attrectasse; 313, 29 usurpasse, occupasse.

Atque XII. quoque panegyrici auctorem eas formas semper contraxisse elucet; II. sing. personae pass. in -re pro -ris exeuntis ut apud Nazarium ita etiam apud Pacatum non inveniuntur exempla, qui septies plena utitur forma, velut 279, 6 exsequebaris; 280, 4 tegebaris; 280, 22 vocabaris; 281, 31 adsciscebaris, cogebaris; 311, 11 loquebaris; 313, 5 ferebaris, quae exempla ubique aut ante vocales aut in fine posita sunt, nisi quod 281, 31 adsciscebaris ante consonantem legitur.

Tum eundi verbum ut a Mamertino Nazarioque, ita a Pacato quoque semper contractum usurpatum est, quod ut demonstrem, hos afferam locos: 284, 7 subiit; 309, 17 periit; 304, 12

praeteristi; 272, 20 abierit; 296, 21 transierat, idem 302, 6; 299, 2 subisset; 300, 25 isset; 273, 15 isse (Neuius p. 515, quamquam hi loci apud eum allati non sunt). Quaerendi formae duobus locis exstant, velut 277, 31 quaesisti; 284, 25 quaesiverit, exemplis Neuii p. 511 et p. 526 addendae. Denique 308, 6 praepedivi commemorandum est, quod neque Neuius neque Georges affert. 282, 10 cognoveri· plenum ut apud panegyristas usitatum est, legitur.

Iam videmus, et Nazarium et Mamertinum et Pacatum formas in -asti(s) et -asse, -isti, -isse exeuntes fere omnibus locis adhibuisse, reliquas ita usurpasse, ut contractas non dico omnino vitarent, sed plenis postponerent.

Sed antequam ad huius capitis finem perveniat quaestio nostra, enumeremus exempla nonnulla ex omnibus panegyricis excerpta, quae non tam ad contractarum formarum numerum pertinent, quam ob singularum litterarum diversitatem addenda sunt.

Formae quaesumus omnibus locis littera u servata leguntur, velut II, 101, 5; X, 242, 25. Coniunctivi orirentur III, 110, 13 et adorirentur IX, 210, 5 secundum coniugationem vocalem leguntur, X, 229, 22 tamen exstat oreretur. IV, 129, 23 legimus desiderat, Livium autem XXXII, 9, 3 adhibuisse formam desederat Georges p. 207 demonstravit, et ad Liviani sermonis usum accedunt formae resederunt VI, 158, 10 (Neuius II. p. 501) et resedisse VII, 177, 4. Currendi verbi formae hae sunt: transcurristis III, 109, 21; incurrisse VII, 171, 15 (Neuius II. p. 468); percucurrit X, 227, 5, qui locus Georgem p. 507 fugit. Secandi verbum rara forma resecata exstat apud oratorem VIII, 189, 24 (Neuius II, 555; Georges p. 598, ubi pro „Eumenes?“ legendum est „Eumenii?“).

Quod supra p. 17 de immutatione vocalium i et u (monimenta — monumenta) dixi, id hoc quoque loco repetendum est, Georges enim docet, etiam Ciceronem sine discrimine uti formis reci- vel recuperandi. Reciperata V, 147, 13 in cod. Upsaliensi traditum est; recuperata IX, 193, 8; recuperavit

ibid. 211, 21; recuperanda VIII, 183, 3 (cf. reciperatio VII, 163, 22).

Gerundii vel gerundivi formae, quae in -undi pro -endi exeunt, hae inveniuntur: IV, 118, 8 experiundi; idem V, 145, 30; reficiundis IV, 119, 20; faciundo VII, 169, 26; ambiundi XI, 258, 3, sed IX, 206, 20 legitur moenibus ambiendis.

Caput IV.

De substantivis.

H. Ruehlius cum substantiva, quae a supinis verborum derivata sunt, ex panegyricis II. et III. adscriberet, invenit, oratores illos saepe substantiva in -io et -as et -us exeuntia adhibuisse, raro ea, quae in syllabas -tudo exeunt. A. Sachsius, cum IV. et VIII. panegyricum compararet, contendit, permultas eiusmodi formas exstare, quarum partem attulit. Sed cum neque Ruehlius neque Sachsius hanc rem ad finem perduxerint, et ea exempla, quae ab illis viris omissa sunt, afferam et ex reliquis orationibus omnia illa substantiva adscribam.

Ac de substantivis, quae in -tas exeunt, haec fere dicenda sunt: Centum tria substantiva exstant in panegyricis II.—IX., quorum apud Eutropium, quem exempli gratia appello, tantum triginta tria leguntur eaque usitatissima, velut aetas, civitas, alia. In iis quae sequuntur, ea substantiva, quae unum apud oratorem inveniuntur, hoc signo * notata sunt.

Viginti tria substantiva in -tas exeuntia leguntur apud II. oratorem: adfinitas, aequalitas, aetas, antiquitas*, auctoritas, celeritas, civitas, consanguinitas, cupiditas, diversitas, felicitas, immanitas, liberalitas, maiestas, opportunitas*, pietas, potestas, securitas, serenitas*, tempestas, utilitas, vetustas, voluntas.

Ruehlius (p. 27) in enumerandis ex III. pan. exemplis nonnulla omisit, quae cum reliquis huc adponam: aequanimitas*, aetas, aeternitas*, alacritas, amoenitas, animositas*, asperitas*, captivitas, caritas, celeritas, civitas,

cupiditas, densitas, difficultas, dignitas, divinitas, facilitas*, felicitas, feritas, fertilitas*, fraternitas, germanitas*, immanitas, immortalitas, iniquitas*, libertas, longinquitas, maiestas, nobilitas, pietas, potestas, propinquitas, prosperitas*, salubritas*, sanctitas*, societas*, tempestas, ubertas*, utilitas, veritas.

Contra hanc multitudinem quadraginta substantivorum apud Eumenium tantum viginti leguntur haec: aetas, auctoritas, benignitas, civitas, cupiditas, dignitas, diversitas, facultas, felicitas, feritas, firmitas, gravitas, humanitas, liberalitas, novitas*, pietas, potestas, utilitas, voluntas, voluptas.

Orator V. viginti quinque exempla adhibuit, velut: aetas, amoenitas, captivitas, celeritas, civitas, claritas*, divinitas, facultas, felicitas, feritas, firmitas, fraternitas, gravitas, impunitas, lenitas, maiestas, necessitas, pietas, securitas, tarditas*, temeritas, vanitas, viriditas*, voluntas, voluptas.

Apud VI. oratorem viginti septem substantiva in -tas exeuntia inveniuntur, quae haec sunt: adfinitas, aetas, alacritas, auctoritas, caritas, communitas, cupiditas, deformitas*, divinitas, felicitas, firmitas, gravitas, hilaritas*, immortalitas, libertas, maiestas, maturitas*, obscuritas*, pietas, posteritas, potestas, soliditas*, stabilitas*, varietas, veritas, vetustas, voluptas.

Ex VII. panegyrico haec triginta septem exempla afferenda sunt: aestas*, aetas, alacritas, auctoritas, bonitas, brevitas*, captivitas, civitas, cupiditas, dignitas, divinitas, facultas, fecunditas*, felicitas, feritas, firmitas, gravitas, hereditas*, immanitas, impunitas, libertas, maiestas, mediocritas*, mobilitas*, necessitas, nobilitas, pietas, popularitas*, potestas, securitas, severitas*, sinceritas*, sublimitas*, temeritas, tranquillitas*, utilitas, veritas.

Deinde in VIII. oratione haec leguntur substantivorum

exempla triginta duo: acerbitas*, aetas, aequalitas, assiduitas*, bonitas, caritas, celeritas, civitas, commoditas*, communitas, consanguinitas, difficultas, dignitas, felicitas, fraternitas, humilitas*, immortalitas, liberalitas, longinquitas, maiestas, necessitas, olivitas*, paucitas*, paupertas*, pietas, securitas, sterilitas*, vanitas, vastitas, veritas, vetustas, voluptas.

Ex IX. denique oratore triginta unum exempla proferenda sunt haec: auctoritas, benignitas, bonitas, calamitas*, celeritas, civitas, crudelitas*, densitas, dignitas, divinitas, felicitas, gravitas, humanitas, impietas*, impunitas, infirmitas*, lenitas, liberalitas, libertas, maiestas, necessitas, pietas, posteritas, potestas, pravitas*, propinquitas, securitas, varietas, vastitas, vilitas*, voluptas.

Sequitur, ut de substantivis in -io exeuntibus loquar, quae permulta apud omnes oratores inveniuntur. Sed apud II. oratorem sedecim tantum exempla exstant, cum Eumenius quadraginta, orator V. undequadraginta substantiva adhibuerit.

II. orationis exempla haec sunt: aemulatio, eruptio, exercitatio, exsultatio, institutio, legio, natio, oblivio*, opinio, oratio, religio, stipatio, successio, transgressio*, vastatio, veneratio.

III. orationis exempla haec sunt triginta duo (nam septentrio 114, 15 hoc loco omittendum est): actio*, aemulatio, administratio, admiratio, adoptio*, auditio*, cogitatio*, cognitio, concio, confectio*, conquestio*, dignatio, dimicatio*, diminutio*, dubitatio*, expectatio, expeditio, natio, opinio, oratio, perturbatio*, possessio*, praedicatio*, progressio*, promissio, properatio*, ratio, regio, religio, ultio*, vastatio, veneratio, ex quibus quindecim huius orationis propria sunt exempla.

Eumenius ipse his usus est substantivis, quorum septendecim apud alios oratores non leguntur: (administratio in epistola imperatoris), adfectio*, admiratio, appetitio*,

celebratio*, cognitio, commemoratio*, contentio, defensio*, dignatio, dispositio*, electio*, exhortatio*, expectatio, frequentatio*, instauratio, institutio, interpretatio*, largitio, legio, miseratio*, natio, opinio, oratio, ostentatio, permotio*, postulatio*, professio*, prolusio*, promissio, provisio*, ratio, rebellio, recitatio*, recordatio, regio, religio, restitutio, successio, trepidatio, veneratio.

Ex oratione V. haec exempla adscribo undequadraginta, quorum quindecim apud reliquos oratores desiderantur: administratio, coniuratio*, contemplatio, desperatio, dicio*, dignatio, dilatio*, eversio*, exercitatio, expeditio, exstructio*, factio, gratulatio, hortatio*, imitatio, inclinatio, instauratio, internecio*, legio, lucubratio*, natio, navigatio*, nuncupatio*, obsidio, occasio, opinio, oratio, pastio*, ratio, rebellio, recordatio, refectio*, regio, relatio*, restitutio, statio*, trepidatio, vastatio, velificatio*.

VI. deinde oratoris usus his exemplis viginti duobus demonstretur: adulatio, appellatio, coniunctio*, contemplatio, devotio, excusatio*, expectatio, expeditio, exultatio, factio, gratulatio, imitatio, largitio, missio*, munitio*, natio, occasio, oratio, ratio, restitutio, stipatio, successio. Ex his igitur viginti duobus substantivis quattuor apud VI. oratorem solum inveniuntur.

Apud VII. oratorem exstant haec exempla undetriginta: adulatio, ambitio*, cognatio*, confessio*, consensio*, continuatio*, devotio, dignatio, executio*, expectatio, expeditio, irruptio*, largitio, mansio*, natio, oblatio*, obsessio*, optio*, oratio, ostentatio, proditio*, ratio, receptio*, reciperatio*, religio, suffragatio*, vastatio, vectatio*, veneratio, quorum sedecim apud hunc oratorem solum leguntur. VIII. deinde orator haec exempla undeviginti praebet: adulatio, defectio*, desperatio, devotio, evectio*, expectatio, exultatio, gratulatio, interrogatio*, largitio, natio, oratio, pensitatio*, praesumptio*, promissio,

ratio, regio, religio, remissio*, quorum sex tantum huius oratoris propria sunt. Triginta quinque vero exempla leguntur apud IX. oratorem, cuius oratio amplissima est, velut: appellatio, concio, conservatio*, consummatio*, contagio*, contentio, conversio*, convulsio*, delatio*, desperatio, devotio, direptio*, eruptio, expeditio, exultatio, gratulatio, imitatio, inclinatio, legatio*, legio, mutatio*, natio, obsessio*, obsidio, obstinatio*, occasio, offensio*, oppugnatio*, oratio, peregrinatio*, probatio*, ratio, regio, religio, stipatio, quorum quindecim apud reliquos oratores non inveniuntur.

Substantiva in -us IV. declinationis exeuntia haec ex pan. II. Ruehlius (p. 27) affert: adventus, amplexus, comitatus, conspectus, discursus, ductus, effectus, fetus, flatus, fructus, habitus, haustus, lapsus*, nisus, nutus, ornatus, ortus, reditus, sonitus, successus, vagitus, ex quibus fetus illo errore quodam ductus attulisse videtur, cum neque in ea oratione, neque in posterioribus inveniatur. Addo his astus*, consulatus*, currus, exercitus, fluctus, impetus, magistratus, metus, senatus, spiritus, ut numerum triginta exemplorum expleam, in quo tria exempla II. oratoris propria sunt.

Ex pan. III. idem Ruehlius haec substantiva attulit: adfectus, aditus, aestus, anhelitus, conatus, conspectus, cursus, discursus, dominatus*, eventus, flatus, fructus, habitus, impetus, motus, obtutus*, occasus, ortus, planctus*, plausus, processus, sensus, successus, transitus, quibus addenda sunt: consensus, magistratus, nisus, (vel sinus, quod codices exhibent p. 103, 30), ploratus*, spriritus, vultus; quattuor igitur ex triginta exemplis substantiva apud hunc oratorem solum leguntur.

Ex Eumenio Sachsius haec exempla protulit: dilectus, fluctus, instinctus, ornatus, respectus, sumptus, usus; quibus addam: (actus ex epistola sacra), aditus, ambitus, amplexus, aspectus, auditus*, captus*, casus*, (comitatus ex epistola), consensus, conventus*, cultus, effectus,

fructus, habitus, impetus, ingressus, interitus*, iussus, motus, nutus, occursus*, quaestus*, sensus, sinus, situs, sonus*, spiritus, status*, strepitus*, transitus, vultus, quibus additis numerus triginta septem substantivorum completus est, quo in numero decem apud unum Eumenium leguntur.

Ex V. panegyrico haec duodequadraginta afferenda sunt exempla: accessus*, aditus, adventus, aestus, amplexus, anhelitus, apparatus*, circuitus*, consensus, cultus, dilectus, discursus, ductus, effectus, eventus, exercitus, exitus, fluctus, hortatus*, impetus, iussus, meatus, metus, monitus*, nisus, nutus, ortus, partus, porticus*, portus, pulsus, receptus, recursus*, sinus, situs, transitus, usus, vultus, ex quibus septem apud reliquos oratores non leguntur.

Apud VI. oratorem, qui unum exemplum tribunatus solus adhibuit, haec exstant exempla viginti duo: affectus, amplexus, aspectus, cursus, discursus, exercitus, gemitus, habitus, ingressus, metus, motus, natus, nutus, occasus, ortus, pulsus, receptus, reditus, sensus, tribunatus*, usus, vultus.

VII. deinde orator his usus est substantivis quadraginta quinque, quorum novem apud eum solum leguntur: actus, aditus, adventus, aestus, affectus, ambitus, ascensus*, aspectus, conatus, consensus, contemplatus*, cruciatus*, cultus, currus, cursus, dilectus, egressus*, excessus*, exercitus, fluctus, gradus*, habitus, halitus*, haustus, iactus*, impetus, magistratus, meatus, metus, motus, nutus, ornatus, ortus, portus, questus*, receptus, reditus, respectus, sensus, spiritus, successus, sumptus, transitus, usus, vultus.

Quod ad VIII. panegyricum attinet, haec septem exempla Sachsius attulit: aditus, apparatus, comitatus, commeatus, consessus, exercitus, metus, quibus duodeviginti addenda sunt haec: affatus*, affectus, amplexus, aspectus, census*, conatus, flexus*, habitus, meatus, partus,

procursus*, reditus, saltus*, senatus, sensus, sinus, vagitus, vultus, e quibus quinque apud reliquos panegyristas desiderantur.

Ex IX. oratione haec notanda sunt exempla triginta sex: apparatus, aspectus, casus, comitatus, commeatus, conatus, consensus, conspectus, cultus, dilectus, discursus, ductus, effectus, eventus, exercitus, exitus, fructus, gemitus, gradus, instinctus, impetus, impulsus*, metus, morsus* (ita ex Baehrensii coniectura), motus, obitus*, plausus, processus, senatus, sinus, situs, sonitus, successus, transitus, tumultus*, victus*; quinque igitur huius oratoris propria sunt exempla.

Rariores autem sunt formae substantivorum in -entia exeuntium.

Orator II. his septem substantivis usus est: clementia, licentia, magnificentia, pestilentia*, potentia, praesentia, providentia. III. orator undecim exemplis his usus est: clementia, conscientia, continentia, eloquentia, impatientia, inclementia, patientia, potentia, praesentia, reverentia*, sapientia. Eumenium hac quoque in re singularem obtinere locum inde intelligitur, quod undeviginti exemplis usus est, quem ad numerum nemo reliquorum oratorum prope accedit; nam ne VII. quidem aut IX. orator plus duodena substantiva adhibuerunt. Eumenii vero exempla haec sunt: adolescentia, benivolentia*, clementia, confidentia, conscientia, continentia, diligentia, eloquentia, frequentia, indulgentia, insolentia*, intelligentia, magnificentia, neglegentia, patientia, potentia, providentia, sapientia, scientia. V. orator septem exempla adhibuit: clementia, conscientia, eloquentia, inclementia, potentia, praesentia, providentia. Idem est numerus eorum exemplorum, quae apud VI. oratorem exstant: adolescentia, continentia, frequentia, neglegentia, providentia, prudentia, scientia. In VII. panegyrico leguntur haec duodecim exempla: absentia*, adolescentia, clementia, continentia, eloquentia, poenitentia*, potentia, praesentia, provi-

dentia, prudentia, sapientia, sententia. In VIII. panegyrico haec sex inveniuntur substantiva: clementia, indulgentia, patientia, praesentia, providentia, scientia. IX. deinde orator duodecim exemplis usus est, velut: clementia, confidentia, conscientia, dementia*, diligentia, impatientia, licentia, potentia, praesentia, providentia, prudentia, sententia.

Substantiva autem, quae in -antia exeunt, rarissime inveniuntur, apud II., III., VII., VIII. oratores nullum, apud Eumenium vigilantia; apud V. oratorem constantia, iactantia; in VI. oratione constantia, in IX. constantia, distantia exstant.

Paullo saepius substantiva in -tudo exeuntia leguntur, septem enim apud oratorem II.: consuetudo, fortitudo, multitudo, necessitudo, pulcritudo, similitudo, sollicitudo; quinque apud III. oratorem: consuetudo, fortitudo, magnitudo, similitudo, sollicitudo; tria apud Eumenium: consuetudo, magnitudo, sollicitudo; sex in oratione V.: altitudo, magnitudo, multitudo, necessitudo, similitudo, solitudo; septem in oratione VI.: consuetudo, fortitudo, magnitudo, necessitudo, pulcritudo, similitudo, valetudo*; octo apud VII. oratorem: altitudo, fortitudo, latitudo*, multitudo, necessitudo, pulcritudo, similitudo, sollicitudo; septem apud oratorem octavum: aegritudo*, altitudo, consuetudo, magnitudo, multitudo, necessitudo, solitudo; quattuor exempla IX. exhibet orator: altitudo, magnitudo, multitudo, similitudo.

Reliquum est, ut Ruehlium secutus substantiva masculina in -tor exeuntia adscribam. pan. II.: arator, auctor, conditor, conservator, imperator, pacator*, pastor*, praeceptor, rector, restitutor, stator, vastator, viator, victor (quattuordecim); pan. III.: adsertor*, auctor, conditor, imperator, praedicator*, victor (sex); pan. IV.: auxiliator*, doctor*, fautor*, imperator, mercator, moderator, orator, praeceptor, restitutor, sectator (decem); pan. V.: auctor, auditor*, conditor, cultor*,

hortator*, imperator, impulsor*, liberator*, mercator, praeceptor, praedator* (undecim); pan. VI.: auctor, gubernator*, imperator, pictor*, rector (quinque); pan. VII.: auctor, genitor*, habitator, imperator, praeceptor, recreator*, sectator, successor*, vector* (novem); pan. VIII.: arator, conditor, conservator, imperator, moderator, orator, restitutor (septem); pan. IX.: altor*, auctor, conservator, creator*, dictator, habitator, imperator, monitor*, munitor*, orator, sator*, victor (duodecim).

Quibus adscriptis elucet, plurima eiusmodi substantiva adhibuisse II. oratorem. Eumenius vero ex sedecim substantivis, quae apud oratores II. et III. legere potuit, tria tantum (imperator, praeceptor, restitutor) adhibuit; tria (auxiliator, doctor, fautor) in posterioribus orationibus nusquam leguntur. Quod quo facilius primo obtutu intelligamus, hoc schema numerorum addere volui, cuius altera series numerum paginarum (Baehr.) exhibet; numeris post commata positis eas significari formas teneas, quae apud alios oratores non inveniuntur.

	pagg.	-tas	-io	-tus	-entia	-antia	-tudo	-tor
II.	12	23,3	16,2	30,3	7,1	—	7,—	14,2
III.	15	40,13	32,15	30,4	11,1	—	5,—	6,2
IV.	15	20,1	40,17	37,10	19,3	1,1	3,—	10,3
V.	16½	25,3	39,15	38,7	7,—	2,1	6,—	11,6
VI.	11½	27,6	22,4	22,1	7,—	1	7,1	5,2
VII.	19½	37,11	29,16	45,9	12,2	—	8,1	9,4
VIII.	12½	32,8	19,6	25,5	6,—	—	7,1	7,—
IX.	20½	31,6	35,15	36,5	12,1	2,1	4,—	12,5

Caput V.

De singularium coniunctionum locutionumque usu.

De usu coniunctionum locutionumque, quae aut apud omnes aut apud plurimos panegyricorum auctores inveniuntur, quamquam iam Ruehlius, Brandtius, Sachsius disseruerunt, tamen Ruehlius neglectis reliquis orationibus in panegyricis

II. et III. observandis se continuit, neque aliter Sachsius rem tractavit, cum orationum IV., V., VII., VIII. verba perscrutaretur, Brandtius autem de paucis tantummodo egit vocabulis, velut de appellationibus, quae ad nomina Caesarum pertinent. Ipse Seeckius omnes eas causas, quibus alii viri docti demonstrasse sibi visi sunt, illas orationes non ab iisdem oratoribus scriptas esse, omnino nihil efficere censet. Ego quidem temporis officiique ratione habita reliqua, quae dicturus eram, ad alium locum, cuius me copiam spero esse nacturum, transferenda esse ratus in iis, quae sequuntur, de octo potissimum partibus sermonis panegyrici agam.

1. Coniunctio siquidem ita adhibita est, ut prope accedat ad eam vim, quae inest in quoniam, cuius rei exempla plurima inveniuntur apud oratores III., IV., V.; reliqui aut non aut raro eam consuetudinem exhibent. Primum autem iam apud Plinium exstat exemplum p. 5, 14; in panegyrico II. et VII. siquidem non legitur (itemque desideratur apud Nazarium et Pacatum). III. deinde orationis exempla haec sunt (Ruehlius p. 30 s): p. 102, 11; 102, 30; 103, 21; 108, 21; 111, 21, quinque igitur locis legitur ea coniunctio, quae in oratione II. omnino deest. Eumenius ipse totidem exempla eius usus praebet: IV, 118, 19; 124, 25; 127, 7; 130, 31; 131, 25. Auctor vero V. orationis, quam eodem fere tempore habitam esse constat, sexies illam coniunctionem adhibuit: V, 133, 27; 135, 26; 142, 7; 142, 22; 145, 6; 146, 19. Bina huius rei exempla leguntur apud VI. et apud VIII. oratorem: VI, 152, 12; 154, 33; VIII, 184, 22; 189, 19. Tum orator IX, 193, 2 semel ea coniunctione usus est, id quod XI. orarem Mamertinum non saepius fecisse constat (259, 11).

2. Sachsius (p. 32) cum animum attenderet ad usum coniunctionis quamquam, qualis apud Eumenium et VIII. panegyrici auctorem invenitur, demonstravit, ab utroque oratore quamquam semper cum coniunctivo adhiberi. Neque id ab usu inferioris aetatis scriptorum abhorrere notum est, Tacitus quidem et Plinius minor multo saepius quamquam cum coniunctivo quam cum indicativo coniungunt (Draegerus Hist. Synt.

II, p. 768). Iam reliquorum oratorum videamus usum. Ac II. orator quamquam semel adhibuit ille quidem, sed absolute, verbo non adposito II, 96, 28. Item sine verbo legitur VI, 152, 7 et VII, 163, 8 subsequente interrogativo quid; neque deest locus, quo pro quamvis cum attributo, ut volgo fit, quamquam scriptum sit: IX, 193, 18 „quamquam oppletis auribus tuis".

Reliquis, quos adnotavi, locis verbum cum ea coniunctione coniunctum est: III, 113, 4 „quamquam — teneat"; 113, 16 „qu. — dixerim — restent"; IV, 117, 14 „qu. — videretur"; 118, 17 „qu. — perturber"; VII, 161, 1 „qu. — colamus"; 166, 6 „qu. — rettulisses"; VIII, 184, 20 „qu. — ignoscat"; 189, 29 „qu. — vacillemus". Sed orator V. semper indicativum adhibuit, quod iam Sachsium monuisse video (p. 32): 133, 12 „qu. — sunt"; 137, 16 „qu. — est". VI. deinde panegyrici auctor p. 152, 30 „qu. — ferant" coniunctivo usus est, sed 155, 15 „qu. non erat abnuendum", et 156, 7 „qu. — caruit" bis indicativum usurpavit. Item Nazarius semper indicativo usus est, velut X, 226, 26 „qu. — adolevit"; 235, 13 „qu. — arbitror"; 239, 21 „qu. — permanat".

Longum est, de reliquarum coniunctionum concessivarum usu hoc loco disserere, hoc satis est dixisse, saepissime quamvis apud panegyristas inveniri, deinde licet, tum etsi, neque deesse cum neque etiamsi. Bis quamlibet cum coniunctivo pro quamvis legitur VII, 169, 16 „quamlibet — arescat" et 170, 31 „qu. — arguatur", praeterea semel IX, 208, 11 „qu. — sint".

3. Brandtius p. 21 attulit, apud V. oratorem quattuor locis pro simulatque scriptum esse statim atque (137, 3; 141, 8; 142, 29; 146, 7), cuius usus exemplum in orationilus II., III., IV. deest, a Draegero II, 602 ex Digest. I, 16, 1 affertur. In VII. oratione 166, 3 pro statim atque legitur illico atque (sed 168, 4 simulatque), cuius rei exemplum Draegerus non habet; VI. autem orator 158, 7 statim ut exhibet. Eadem coniunctio etiam VII, 174, 11 invenitur (cf. Capitol. Max. et Balb. 11), qui usus similis est Ciceronis, quem simul ut scripsisse Verr. II, 1, 26 Draegerus II, 600 docuit.

4. Sachsius (p. 31) contendit, Eumenium et auctorem VIII.

panegyrici solos in similibus et translationibus adhibendis usos esse vocabulo quodammodo. Quod ille non accurate observasse videtur, cum et II, 92, 2 et bis VII, 175, 2; 178, 13 et XII, 283, 27 illud legatur.

5. Idem Sachsius commemoravit, solos apud IV. et VIII. oratores pro accusativo cum infinitivo verba coniungi cum indicativo, velut IV, 122, 6; VIII, 182, 24. Cuius rei usum etiam apud reliquos oratores inveniri docent hi loci II, 95, 8; 101, 13; III, 113, 17; VII, 167, 17; 177, 10; 178, 15; IX, 195, 15.

6. Iam liceat mihi parvulas voces afferre, quibus oratores illi verborum ordinem interrumpere solent.

a) „ut res est“: III, 109, 12; IV, 122, 3; 129, 30; V, 136, 21; 137, 25; VI, 151, 10; 155, 10; 158, 20; VII, 172, 3; IX, 205, 22. Nullum huius enunciati exemplum exstat apud oratores II. et VIII.

b. „ut audio“: II, 97, 23; III, 111, 6; 115, 7; V, 136, 24; 143, 29; VI, 152, 19; VII, 175, 6; VIII, 185, 3; IX, 196, 24; 199, 20; 207, 2. Deest igitur solum in Eumenii ipsius oratione, qui p. 128, 17 idem „audio“ cum accusativo c. inf. adhibet; praeterea orator V. p. 142, 16 „ut dicitur“ et paulo infra 23 „ut ex ipsorum relatione comperimus“ praebet.

c) „oro“: VII, 171, 21. Hoc postea legitur apud Nazarium 215, 1 et bis apud Mamertinum 248, 9 et 265, 28, reliqui oratores nullum exemplum praebent.

d) „inde est quod“ (Plinianum, 15, 9) IV, 121, 20; V, 147, 19; VII, 162, 28; IX, 210, 23 (XI, 279, 15). In orationibus II., III., VI., VIII. desunt huius rei exempla.

e) „nunc cum maxime“ (Cic. p. Rosc. Am. 132, 15) II, 90, 25; IV, 119, 25. Ceterum etiam apud Nazarium invenitur 213, 13.

f) „hucusque“, quod ex Plinio et Quintiliano Georges affert, II, 98, 32; III, 115, 12; VIII, 192, 10; IX, 203, 5; 207, 1. Desideratur vero apud oratores IV., V., VI., VII.; postea legitur XI, 252, 30; 258, 7.

g) „domina gentium“: II, 90, 5, ibid. 34; 101, 3; III, 111, 17; V, 139, 10; VI. 157, 11.

h) „invicem“: Livianum Taciteumque pro „alius alium“

vel „inter se“, quod alioquin a scriptoribus Romanis usitatum est, septies legitur in oratione III.: 106, 19, ibid. 26; 107, 24; 108, 8 bis; 112, 9; 115, 20 (idem orator „vicissim“ adhibuit 114, 2; 105, 19), cuius vocis exempla saepius tantum apud VI. oratorem inveniuntur: 149, 15; 153, 9; 158, 15; singula exempla exstant II, 96, 16; VIII, 187, 30; IX, 200, 18.

i) „nihilominus“ apud III. oratorem saepius inveniri (103, 29; 104, 7; 112, 24) iam ab aliis observatum est.

k) „adeo“ et „vero“ apud oratorem V. solito saepius legi Brandtius p. 21 exposuit.

7. Sequitur ut de gerundii usu dicam. II. in oratione genetivus semel legitur 99, 32 „dicendi munus“; accusativus cum praepositione ad semel 100, 32 „Camillos — proponere ad imitandum“, quem usum Draegerus II, 822 vetustatis colore imbutum appellat (cf. 99, 9 „laborare ad perficiendas eas“). Ablativi bis: 97, 21 „veniendo“, 98, 5 „consentiendo“, praeterea ablativi cum obiecti accusativo coniuncti quinquies: 96, 18 „ostendendo dona Persica“; 97, 17 „regna reddendo“; 100, 17 „aedes — frequentando“; 100, 19 „invocando statorem“; 101, 8 „diem celebrando“; hic usus apud Sallustium Liviumque saepe invenitur, quorum ab aetate magis magisque desinit teste Draegero II, 848, qui e Tacito septem locos affert (Über Synt. u. Stil d. T., 76, 203). Novem igitur exempla gerundii exstant apud II. oratorem.

III. deinde orator tredecim gerundii formas exhibet his locis: genetivos sex 102, 3 „dicendi munus“; 102, 13 „dicendi praemium“; 104, 13 „animositate certandi“; 106, 7 „dicendi legem“; 111, 1 „adorandi mora“; 113, 15 „finem dicendi“. Accusativos cum praepositione ad coniunctos tres invenimus: 110, 16 „ad visendum“; 111, 14 „ad intuendum“; 111, 20 „ad intuendum“. Num vero his exemplis illud 106, 5 addendum sit, dubito, quamquam Baehrensius ex apographo Bertiniensi „ad petendum pacem“ textui inserere voluit contra auctoritatem libri Maguntini, qui „ad petendam pacem“ praebuisse videtur. Nullo igitur loco oratorem III. gerundium cum obiecti accusativo adhibuisse dicamus.

Eumenius deinde ipse maximum gerundiorum numerum habet, quo in numero genetivi ita praevalent, ut octies decies legantur, accusativi ter, ablativus semel. Loci sunt hi: 117, 6 „genere dicendi“; 117, 25 „initio dicendi“; 117, 26 „dicendi munus“; 118, 8 „experiundi causa“; 118, 14 „docendi praecipiendique rationibus“; 118, 19 „dicendi novitate“; 118, 29 „causa dicendi“; 120, 25 „dicendi signa“; 122, 10 „bene dicendi quam recte faciendi disciplinas“; 125, 2 „cupiditate quaerendi“; 125, 4 „sumendi copiam“; 126, 29 „imperandi potestatem, cohortandi humanitate“; 127, 2 „dicendi facultatem“; 128, 10 „docendi praemia“; 128, 11 „in sede dicendi“. Accusativos cum praepositione ad coniunctos tres legimus: 117, 15 „ad agendum et ad dicendum“; 123, 33 „quod — ad dicendum constitueram“; qui locus similis est illi II, 100, 32, de quo supra dictum est. Tum ablativus simplex exstat 118, 20 „contradicendo“.

Tredecim deinde exempla gerundii apud V. oratorem leguntur, sex genetivi, ablativi septem, quorum duo cum obiecti accusativo coniuncti sunt; accusativi desunt. 144, 22 „necessitas obsequendi“; 145, 6 „fiduciam pervagandi“; 145, 30 „experiundi necessitate“; 147, 16 „nulla progrediendi causa“; 148, 11 „desinendi — dicendi“. Ablativi exempla haec sunt: 132, 16 „dicendo“, 17 „enumerando“; 134, 9 „participando tutelam“; 135, 25 „veniendo“; 138, 4 „depraedando, serviendo“; 144, 25 „gloriam restituendo navalem“.

Decem deinde exempla insunt in oratione VI., genetivi duo 151, 23 „materia vincendi“; 157, 14 „imperandi labor“. Ablativi octo iique septies, quod maxime monendum est, cum accusativo obiecti coniuncti, velut 149, 22 „seriem propagando“; 153, 4 ss. „species transferendo, vos intuendo, inspiciendo vultus, serios exigendo, proferendo — praesagia“; 153, 15 „hunc intuendo“. Unus ablativus sine obiecto legitur 151, 20 „oriendo“.

Ex VII. oratione haec afferenda sunt exempla decem: genetivi quattuor 160, 11 „dicendi facultatem“; 168, 20 „conandi spes“; 170, 1 „facultatem in hosticum transeundi“;

176, 13 „poenitendi tempus". Unus accusativus cum praepositione ad exstat 160, 8 „ad dicendum". Ablativi deinde quinque nullo loco cum obiecti accusativo coniuncti sunt, ut ex his intelligitur locis: 161, 29 „nascendo"; 162, 10 „militando"; 169, 24 „parcendo", 25 „provocando"; 174, 26 „urguendo".

Ex VIII. panegyrico mihi adnotavi haec quattuordecim exempla genetivi undecim 180, 20 „studium dicendi"; 187, 17 „petendi molestiam, adipiscendi voluptatem"; 188, 19 „praestandi celeritate", 20 „tempus optandi"; 189, 20 „ratio conandi", 21 „spes complendi"; 190, 1 „exonerandi praesumptio", 2 „patientiam sustinendi"; 191, 24 „solvendi necessitas", 25 „lucrandi — commoditas". Ablativorum exempla haec sunt: 185, 11 „replicando"; 187, 24 „percontando", 25 „suggerendo", quorum ex nullo obiecti accusativus pendet.

Restat, ut ex IX. panegyrico gerundii exempla afferam, quae undeviginti sunt, genetivi decem: 193, 19 „aemulandi fiducia", 20 „cupidus imitandi"; 198, 25 „tempus sibi consulendi"; 201, 6 „tempore poenitendi"; 204, 14 „haesitandi mora"; 205, 15 „necessitatem resistendi, propinquitatem refugiendi"; 210, 1 „consilio — abnuendi", 4 „occasionem in nostra veniendi"; 212, 19 „abnuendi causa". Accusativi duo leguntur antecedente praepositione ad: 197, 15 „ad ulciscendum"; 204, 1 „ad resistendum". Ablativus cum accusativo obiecti coniunctus semel exstat 195, 6 „matrimonia — capita cum bonis — donando". Praetera ablativi sine obiecto hi inveniuntur sex: 201, 8 „obsidendo"; 204, 16 „in gerendo", 25 „cunctando"; 205, 9 „inchoando", 28 „excedendo palatio"; 206, 12 „volvendo".

Quodsi ea exempla omnia conferimus, apparet, interesse aliquid inter singulos oratores, quorum nullus gerundii formas omnino vitavit, sed alii alio modo adhibuerunt, Eumenius enim, cuius oratio quindecim paginis continetur, maximum numerum earum formarum praebet, viginti duas, cum orator II. in duodecim paginis novem exhibeat. Oratores VII. et IX., quorum orationes maximae sunt, decem et undeviginti exempla habent. Decem etiam apud VI. oratorem leguntur, panegyrici III., V., VIII. non multum distant. Maximum deinde numerum gene-

tivorum Eumenius adhibuit (18). Obiecti accusativum cum gerundio coniunctum non invenimus apud III., IV., VII., VIII. oratores; in oratione V. duo, in IX. unum exemplum legitur, at quinque et septem exempla in brevissimis orationibus II. et VI. leguntur, quae etiam hanc ob causam inter se comparandae sunt, quod ibi genetivi raro exstant, in II. semel, in VI. bis. Haec de gerundii usu dicenda mihi visa sunt.

8. Ruehlius (p. 30) genetivum prononimum personalium „mei, tui, sui, nostri, vestri" solito licentius apud oratores II. et III. inveniri docuit, sed ex utraque oratione singula tantum exempla attulit. Quam ob rem operae pretium esse videbitur, in huius libelli fine omnes eiusmodi locos proferre, qui hi sunt: II, 96, 22 „vestri similitudine"; 97, 6 „discrimen sui"; 100, 16 „praesentiam vestri"; adde quod 92, 2 „oblitum — sui" exstat. III, 102, 7 „fiduciam mei"; ibid. 21 „sui maiestate"; ibid. 30 „vestri reverentia"; 103, 4 „vestri caritate" (cf. caritate patriae Nep. Alcib. 5, 1 et 8, 1); „desiderio vestri et amore" ibid. 9; 107, 19 „admiratione vestri"; 108, 16 „ad conspectnm vestri"; 111, 4 „aditum vestri"; 111, 10 „sine metu vestri"; quibus addendum 113, 11 „plena vestri". Eumenius, quem genetivum objectivum vitasse Sachsius docuit (p. 31), ne unum quidem exemplum exhibet, quod huc pertineat. V, 137, 18 „divortio sui"; 140, 30 „pro sui terrore"; 143, 5 „vestri contemplatione"; 145, 3 „metu vestri"; 146, 6 „sui restitutione". VI, 154, 26 „stipatione sui"; 156, 22 „soliditate sui"; 157, 2 „mei amore"; 157, 4 „in mei restitutione". VII, 164, 9 „ex origine sui" (suis sedibus M); ibid. 17 „divortio sui" (hoc loco orator locum illum V, 137, 18 imitatus est); 166, 9 „copiam tui" (cf. Ovid. met. XIII, 332 „utque tui mihi, sic fiat tibi copia nostri" si iure Ovidii esse hic versus dicitur) 170, 21 „in exordio sui"; 171, 3 „contemplatu tui" (cum Baehrensio); 173, 4 „respectu tui"; 179, 11 „sectatores mei" (nisi forte hoc loco „mei" nominativus est); 179, 14 „expectationem mei". VIII, 182, 8 „in perniciem sui"; 189, 24 „aliqua sui parte". IX, 194, 7 „nostri cura"; 210, 22 „ex ludibrio sui"; ibid. 26 „prodigos sui"; 194, 15 „amor nostri"; 194, 27 „tui amore". Simili ratione Nazarium

quoque usum esse liceat mihi hoc loco addere: 215, 29 „venerationem sui"; 216, 4 „ad similitudinem suorum"; ibid. 8 „simulacrum sui"; 218, 8 „in illa sui sorte"; 227, 21 „securus sui"; 228, 22 „amans tui"; 229, 22 „cupidam sui"; 229, 26 „ad usum corrigendi nostri"; 231, 3 „ex industria tui"; 242, 12 „ad sui ostentationem"; 244, 1 „ambitione sui". Mamertinus tria exempla huius usus praebet, velut 264, 20 „a custodia tui"; ibid. 26 „amantem sui"; 267, 26 „verecundiam tui". Pacatus quinquies hoc genetivo usus est: 284, 8 „sui poenitentia"; 286, 4 „sui ostentatrix"; ibid. 14 „sui diligentiores"; 303, 28 „reliqua sui parte"; 305, 5 „sui tuive respectus".

Quos oratores omnes si comparamus, facere non possumus quin contendamus, Eumenium i. e. auctorem panegyrici IV. singularem obtinere locum.

